

ORDO DEDICATIONIS ECCLESIÆ ET ALTARIS

ORDO DEDICATIONIS ECCLESIÆ ET ALTARIS

ORDO DEDICATIONIS ECCLESIÆ ET ALTARIS



ECCLESIA

PONTIFICALE ROMANUM

EX DECRETO SACROSANCTI ŒCUMENICI
CONCILII VATICANI II INSTAURATUM
AUCTORITATE PAULI PP. VI PROMULGATUM

ORDO DEDICATIONIS ECCLESIÆ ET ALTARIS

EDITIO TYPICA



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXVII



SACRA CONGREGATIO PRO SACRAMENTIS
ET CULTU DIVINO

Prot. n. CD 300/77

DECRETUM

Dedicationis ecclesiæ et altaris ritus in sollemnissimis actionibus liturgicis merito habetur. Nam locus in quo communitas christiana congregatur ad verbum Dei audiendum, ad preces intercessionis et laudis Deo fundendas maximeque ad sacra mysteria celebranda et in quo sanctissimum Eucharistiæ sacramentum servatur, peculiaris imago exsistit Ecclesiæ, templi Dei e vivis lapidibus ædificati; altare vero, quod plebs sancta circumdat ut sacrificium dominicum participet et cælesti reficiatur convivio, signum exsistit Christi, qui sacerdos, hostia, altare est sui ipsius sacrificii.

Hi ritus, qui in secundo libro Pontificalis Romani inveniuntur, recogniti atque ad simpliciorem formam redacti sunt anno MCMLXI. Attamen, ratione et normis attentis instaurationis liturgicæ, quam Concilium Œcumenicum Vaticanum II suscitavit ac fovit, necessarium visum est eosdem ritus iterum recognoscere atque nostrorum temporum condicionibus aptare.

Novum *Ordinem dedicationis ecclesiæ et altaris,* a Sacra Congregatione pro Sacramentis et Cultu Divino apparatum, Summus Pontifex PAULUS VI auctoritate sua approbavit

evulgarique iussit, præcipiens ut in locum rituum, qui secundo libro Pontificalis Romani continentur, substitueretur.

Quapropter hæc Sacra Congregatio, de mandato Summi Pontificis, *Ordinem dedicationis ecclesiæ et altaris* publici iuris facit, qui, lingua latina exaratus, statim ac prodierit, vigere incipiet; linguis autem vernaculis, cum translationes confirmatæ et probatæ a Sede Apostolica sint, a die quem Conferentiæ Episcopales statuerint.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex ædibus Sacræ Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino, die 29 maii 1977, in Dominica Pentecostes.

IACOBUS R. Card. KNOX
Præfectus

✠ ANTONIUS INNOCENTI
Archiep. tit. Æclanen.
a Secretis

CAPUT I

ORDO IMPONENDI PRIMARIUM LAPIDEM VEL INCHOANDI OPUS AD ECCLESIAM ÆDIFICANDAM

PRÆNOTANDA

1. Cum ædificium novæ ecclesiæ inchoatur, celebrari expedit ritum, quo benedictio Dei in opus perficiendum imploretur et fideles moneantur ædem ex lapidibus exstruendam signum visibile fore vivæ illius Ecclesiæ seu ædificationis Dei,[1] quam ipsi constituunt.

Secundum morem liturgicum, hic ritus constat benedictione areæ novæ ecclesiæ et benedictione et impositione primarii lapidis.

Sicubi vero ob peculiarem artem atque rationem ædificandi primarius lapis non adhibetur, ritum tamen benedictionis areæ novæ ecclesiæ celebrari oportet ad initium operis Deo dicandum.

2. Ritus imponendi primarium lapidem vel inchoandi novam ecclesiam quolibet die et hora peragi potest, præterquam Triduo paschali; dies vero potissimum eligatur quo fideles frequentiores convenire possint.

3. Ritus congruenter peragitur ab Episcopo diœceseos; quod si ipse facere nequit, munus committet alii Episcopo aut presbytero, præsertim ei quem socium et adiutorem habet in cura pastorali diœceseos vel communitatis pro qua nova ecclesia ædificatur.

4. Fideles de die atque hora celebrationis tempestive certiores fiant atque a parocho vel ab aliis, ad quos spectat, erudiantur de sensu ritus necnon de veneratione adhibenda ecclesiæ, quæ pro ipsis ædificatur.

Expedit quoque fideles invitari ad opem suam sponte ac libenter suppeditandam in ecclesiæ ædificatione.

[1] Cf. 1 Cor 3, 9; Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 6: A.A.S. 57 (1965) pp. 8-9.

5. Provideatur, quantum fieri potest, ut area ecclesiæ erigendæ sit bene delineata atque commode circumiri possit.

6. In loco ubi altare erigetur, figitur crux lignea convenientis altitudinis.

7. Pro ritus celebratione parentur:
— Pontificale Romanum; Lectionarium;
— sedes pro Episcopo;
— lapis primarius, si casus fert, qui secundum traditum morem est quadratus et angularis, necnon cæmentum et instrumenta ad lapidem in fundamentis collocandum;
— vas aquæ benedictæ cum aspersorio;
— turibulum cum navicula incensi et cochleari;
— crux processionalis et intorticia pro ministris.

Disponantur apta instrumenta technica ut populus congregatus lectiones, preces, admonitiones clare audire possit.

8. Ad ritum celebrandum sacræ vestes coloris albi vel festivi adhibentur. Parentur autem:
— pro Episcopo: alba, stola, pluviale, mitra, baculus pastoralis;
— pro presbytero, quando ipse celebrationi præest: alba, stola, pluviale;
— pro diaconis: albæ, stolæ et, pro opportunitate, dalmaticæ;
— pro ceteris ministris: albæ vel aliæ vestes legitime probatæ.

ORDO BENEDICTIONIS

Pars Prima

Accessus ad locum ubi ecclesia erigetur

9. Congregatio populi et accessus ad locum ubi ritus est peragendus, pro temporum et locorum adiunctis, convenienter fiunt alterutro modo qui infra describitur.

A. Modus prior: Processio

10. Hora competenti fit collecta in apto loco, unde christifideles processionaliter pergent ad locum designatum.

11. Episcopus, sacris vestibus indutus, mitram et baculum gerens, accedit cum ministris ad populum congregatum et, depositis baculo et mitra, eum salutat, dicens:

Grátia Dómini nostri Iesu Christi,
et cáritas Dei,
et communicátio Sancti Spíritus sit cum ómnibus vobis

vel alia apta verba e sacra Scriptura præsertim deprompta. Populus respondet:

Et cum spíritu tuo

vel alia apta verba.

12. Deinde Episcopus fideles breviter alloquitur ut eos ad celebrationem disponat et ritus sensum illustret.

13. Expleta admonitione, Episcopus dicit:

Orémus.

Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc Episcopus prosequitur:

Deus qui Ecclésiam sanctam constituísti
super fundaméntum Apostolórum ædificátam,

summo angulári lápide ipso Christo Iesu,
da ut plebs in tuo nómine congregáta
te tímeat, te díligat, te sequátur,
et crescat in templum glóriæ tuæ,
donec, te ducénte,
ad cæléstem civitátem pervéniat.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

14. Oratione expleta, Episcopus accipit mitram et baculum, ac diaconus, si casus fert, admonet:

Procedámus in pace.

Et ordinatur processio more consueto: præcedit crucifer medius inter duos ministros cum intorticiis accensis; sequitur clerus, deinde Episcopus cum diaconis assistentibus ceterisque ministris, postremo fideles. Incedente processione canitur antiphona (cf. App. n. 1):

Concupíscit ánima mea in átria Dómini (T. P. Allelúia)

cum Psalmo 83, vel alius aptus cantus.

Psalmus 83

2 Quam dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum, *
3 concupíscit et déficit ánima mea in átria Dómini.
Cor meum et caro mea *
exsultavérunt in Deum vivum.
4 Etenim passer invénit sibi domum, †
et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos: *
altária tua, Dómine virtútum,
rex meus et Deus meus.

(Repetitur antiphona)

5 Beáti qui hábitant in domo tua, *
in perpétuum laudábunt te.
6 Beátus vir cuius est auxílium abs te,
ascensiónes in corde suo dispósuit.

(Repetitur antiphona)

7 Transeúntes per vallem sitiéntem
in fontem ponent eam, *
étenim benedictiónibus véstiet eam
plúvia matutína.
8 Ibunt de virtúte in virtútem, *
vidébitur Deus deórum in Sion.

(Repetitur antiphona)

9 Dómine Deus virtútum, exáudi oratiónem meam; *
áuribus pércipe, Deus Iacob.
10 Protéctor noster, áspice, Deus, *
et réspice in fáciem Christi tui.

(Repetitur antiphona)

11 Quia mélior est dies una in átriis tuis super mília, †
elégi ad limen esse in domo Dei mei, *
magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum.

(Repetitur antiphona)

12 Quia sol et scutum est Dóminus Deus, †
grátiam et glóriam dabit Dóminus; *
non privábit bonis eos qui ámbulant in innocéntia.
13 Dómine virtútum, *
beátus homo qui sperat in te.

(Repetitur antiphona)

Deinde fit lectio verbi Dei, ut infra nn. 18-22 describitur.

B. Modus alter: Statio ad locum ubi nova ecclesia est erigenda

15. Si processio fieri nequit vel haud opportuna videtur, fideles congregantur ad aream ubi nova ecclesia est erigenda. Populo congregato, canitur acclamatio (cf. App. n. 2):

Pax ætérna ab Ætérno huic cœtui.
Pax perénnis, Verbum Patris, sit pax Dei pópulo.
Pacem pius Consolátor cunctis præstet géntibus

vel alius aptus cantus. Interea Episcopus sacris vestibus indutus, mitram et baculum gerens, accedit ad populum et, depositis baculo et mitra, eum salutat, dicens:

Grátia Dómini nostri Iesu Christi,
et cáritas Dei,
et communicátio Sancti Spíritus sit cum ómnibus vobis

vel alia apta verba e sacra Scriptura præsertim deprompta. Populus respondet:

Et cum spíritu tuo

vel alia apta verba.

16. Deinde Episcopus fideles breviter alloquitur ut eos ad celebrationem disponat et ritus sensum illustret.

17. Expleta admonitione, Episcopus dicit:

Orémus.

Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc Episcopus prosequitur:

Deus qui Ecclésiam sanctam constituísti
super fundaméntum Apostolórum ædificátam,
summo angulári lápide ipso Christo Iesu,

da ut plebs in nómine tuo congregáta
te tímeat, te díligat, te sequátur,
et crescat in templum glóriæ tuæ,
donec, te ducénte,
ad cæléstem civitátem pervéniat.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Pars Secunda

Lectio verbi Dei

18. Tum leguntur unus vel plures apti sacræ Scripturæ textus, ex iis qui in Lectionario (III, 233-257) proponuntur pro ritu dedicationis ecclesiæ potissimum selecti, congruo interiecto psalmo responsorio vel alio apto cantu. Convenienter autem legitur, præsertim si in ritu adhibetur primarius lapis, una ex lectionibus quæ sequuntur.

Lectiones e sacra Scriptura

19. 1. 1 Reg 5, 2-18: « Præcepit rex ut tollerent lapides grandes, pretiosos in fundamentum templi ».
In diebus illis: Misit Salomon ad Hiram dicens: Tu scis ...

2. Is 28, 16-17: « Mittam lapidem probatum, angularem, pretiosum ».
Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego mittam in fundamentis Sion ...

3. Act 4, 8-12: « Iesus, quem crucifixistis, est lapis qui factus est in caput anguli ».
In diebus illis: Repletus Spiritu Sancto Petrus dixit: Principes populi ...

4. 1 Cor 10, 1-6: « Petra autem erat Christus ».
Nolo vos ignorare, fratres ...

Psalmi responsorii

20. 1. Ps 23, 1-2. 3-4ab. 5-6
℟. (2 Chron 7, 16a): Elegi et sanctificavi locum istum.

2. Ps 41, 3. 5bcd; Ps 42, 3. 4
℟. (Cf. Ps 42, 3): Veritas tua, Domine, deducat me in montem sanctum tuum.

3. Ps 86, 1-3. 4-6. 6-7
℟. (Cf. 1): Fundamenta civitatis Dei in montibus sanctis.

4. Ps 99, 2. 3. 5
℟. (Cf. Ez 37, 27): Erit tabernaculum meum in hominibus.

5. Ps 117, 1-2. 16ab-17. 22-23
℟. (Cf. 1 Cor 3, 11): Nullum aliud fundamentum præter Iesum Christum.

Evangelia

21. 1. Mt 7, 21-29: « Domus super petram et domus super arenam ædificata ».
In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: « Non omnis qui dicit mihi ...

2. Mt 16, 13-18: « Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam ».
In illo tempore: Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi ...

3. Mc 12, 1-12: « Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli ».
In illo tempore: Cœpit Iesus summis sacerdotibus et scribis et senioribus in parabolis loqui ...

4. Lc 6, 46-49: « Posuit fundamentum super petram ».
In illo tempore: Dicebat Iesus discipulis suis: « Quid vocatis me, Domine, Domine ...

22. Lectionibus expletis, fit homilia, in qua lectiones biblicæ opportune illustrantur atque ritus sensus aperitur: Christum angularem Ecclesiæ esse lapidem; ædem autem, quam viva fidelium Ecclesia est ædificatura, domum Dei fore simulque domum Populi Dei.

23. Post homiliam, secundum loci consuetudinem legi potest instrumentum benedictionis primarii lapidis et initii ædificationis ecclesiæ, subsignandum Episcopo legatisque eorum qui ecclesiæ ædificandæ operam dabunt, et una cum primario lapide in fundamentis includendum.

Pars Tertia

Benedictio areæ novæ ecclesiæ

24. Expleta homilia, Episcopus deponit mitram, surgit et benedicit aream novæ ecclesiæ, dicens:

Orémus.

Deus, qui tua sanctitáte ita univérsum mundum perfúndis
ut nomen tuum ubíque clarificétur,
bénedic hos fílios tuos
qui hanc áream
vel donatióne facta vel prǽstito labóre
ecclésiæ tibi ædificándæ paravérunt:
et fac
ut qua córdium unitáte animorúmque lætítia
hæc hódie incépta frequéntant,
divína aliquándo in templo tuo mystéria célebrent
teque in cælis sine fine colláudent.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

25. Postea, resumpta mitra, Episcopus aqua benedicta aspergit aream novæ ecclesiæ, quod peragere potest vel stans in media area vel processionaliter cum ministris fundamenta circumiens. Quo in casu canitur antiphona (cf. App. n. 3):

Lápides pretiósi omnes muri tui, et turres Ierúsalem
gemmis ædificabúntur (T. P. Allelúia)

cum Psalmo 47, vel alius aptus cantus.

Psalmus 47

2 Magnus Dóminus et laudábilis nimis, *
in civitáte Dei nostri.
3 Mons sanctus eius collis speciósus, *
exsultátio univérsæ terræ.
Mons Sion, extréma aquilónis, *
cívitas regis magni.
4 Deus in dómibus eius notus *
factus est ut refúgium.

(Repetitur antiphona)

9 Sicut audívimus, sic vídimus
in civitáte Dómini virtútum, †
in civitáte Dei nostri; *
Deus fundávit eam in ætérnum.
10 Recogitámus, Deus, misericórdiam tuam *
in médio templi tui.
11 Secúndum nomen tuum, Deus, †
sic et laus tua in fines terræ; *
iustítia plena est déxtera tua.

(Repetitur antiphona)

13 Circúmdate Sion et complectímini eam, *
numeráte turres eius.
14 Pónite corda vestra in virtúte eius, †
et percúrrite domos eius, *
ut enarrétis in progénie áltera.
15 Quóniam hic est Deus, Deus noster †
in ætérnum et in sæculum sæculi: *
ipse ducet nos in sæcula.

(Repetitur antiphona)

Pars Quarta

Benedictio et impositio primarii lapidis

26. Peracta benedictione areæ, si imponendus est primarius lapis, hic benedicitur et imponitur, ut infra nn. 27-29 describitur; secus immediate fit conclusio ritus, ut nn. 30-31 indicatur.

27. Episcopus accedit ad locum ubi primarius lapis ponendus est et, deposita mitra, lapidem ipsum benedicit, dicens:

Orémus.

Dómine, sancte Pater,
cuius Fílium ex María Vírgine natum,
lápidem de monte sine mánibus excísum nuntiávit Prophéta
et immutábile fundaméntum vocávit Apóstolus,
bénedic ✠ hunc primárium lápidem
in eius nómine collocándum;
et præsta ut ipse,
quem ómnium rerum princípium constituísti et finem,
istíus óperis inítium sit et increméntum et consummátio.
Qui vivit et regnat.

Omnes:

Amen.

Tunc, pro opportunitate, Episcopus aspergit lapidem aqua benedicta eumque incensat. Deinde resumit mitram.

28. Quibus peractis, Episcopus primarium lapidem in fundamentis ponit silentio vel, pro opportunitate, dicens hæc vel alia apta verba:

In fide Iesu Christi
lápidem istum primárium
in hoc fundaménto locámus.
In ecclésia quæ hic surget
cæléstium sacramentórum virtus percipiátur et grátia,

et invocétur et laudétur nomen Dómini nostri Iesu Christi,
cui glória et impérium
per univérsa æternitátis sǽcula.

Omnes:

Amen.

29. Deinde faber lapidem cæmento conglutinat. Interea, si casus fert, canitur antiphona (cf. App. n. 4):

Bene fundáta est domus Dómini supra firmam petram (T. P. Allelúia)

vel alius aptus cantus.

Conclusio ritus

30. Cantu expleto, Episcopus mitram deponit. Tunc fit oratio universalis, his vel similibus verbis:

Deum Patrem omnipoténtem,
fratres caríssimi, deprecémur,
ut quos huc congregávit
ad novam sibi ecclésiam ædificándam,
Christo Fílio suo, anguléri lápidi, superædificátos,
templum vivum glóriæ suæ effícere dígnetur.

℟. Ecclésiam tuam, Dómine, bénedic atque consérva.

Ut fílios dispérsos, peccáti divisióne reiécta,
in unum congregáre dignétur,
Dóminum deprecémur. ℟.

Ut omnes qui hanc óperis molem
súmptibus atque labóre sibi exstruéndam assúmunt,
supra firmam petram Ecclésiæ suæ
semper fundáre dignétur,
Dóminum deprecémur. ℟.

Ut fratres nostri qui ecclésias Dei nómini dicátas
rebus advérsis exstrúere vetántur,
se in templum vivum ædificáre sátagant,
ad suam fidem eiúsque laudem testificándam,
Dóminum deprecémur. ℟.

Ut omnes qui hic astámus,
divína expolíti tunsióne, digni inveniámur
qui divínis hic celebrándis mystériis initiémur,
Dóminum deprecémur. ℟.

Deinde Episcopus opportune introducit orationem dominicam his vel similibus verbis:

Vocem orántis Ecclésiæ
Christi voci iungámus,
cæléstem obsecrántes Patrem
verbis quæ Fílius nos dócuit.
Unánimes ígitur dicámus:

Omnes:

Pater noster, qui es in cælis:
sanctificétur nomen tuum;
advéniat regnum tuum;
fiat volúntas tua, sicut in cælo, et in terra.
Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie;
et dimítte nobis débita nostra,
sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris;
et ne nos indúcas in tentatiónem;
sed líbera nos a malo.

Episcopus immediate prosequitur:

Te magnificámus, Dómine, sancte Pater,
quia fidélibus tuis,
quos unda regénerans templum tibi sacrátum effécit,
benígnus concédis sacras erígere ædes;

intuére propítius hos fílios tuos,
qui ad inchoándum novæ ecclésiæ opus convenérunt lætántes,
et præsta ut ipsi crescant in templum glóriæ tuæ,
donec, tua grátia expolíti,
in cæléstí civitáte, tua manu collocéntur.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

31. Deinde Episcopus, acceptis mitra et baculo, benedicit populum more consueto; diaconus eum dimittit, dicens:

Ite in pace.

Omnes:

Deo grátias.

CAPUT II

ORDO DEDICATIONIS ECCLESIÆ

PRÆNOTANDA

I. De ecclesiarum natura et dignitate

1. Per suam mortem et resurrectionem Christus factus est verum et perfectum Novi Fœderis templum [1] et populum acquisitionis congregavit.

Hæc autem plebs sancta de unitate Patris et Filii et Spiritus Sancti adunata Ecclesia est,[2] seu templum Dei ex vivis lapidibus ædificatum, ubi Pater adoratur in Spiritu et veritate.[3]

Recte igitur ab antiquo nuncupatum est « ecclesia » et ædificium quo communitas christiana congregatur ut verbum Dei audiat, una oret, sacramenta frequentet, Eucharistiam celebret.

2. Ex eo quod est ædificium visibile, hæc domus peculiare signum exsistit Ecclesiæ in terris peregrinantis et imago Ecclesiæ in cælis commorantis.

Ecclesiam autem, cum erigitur ut ædificium unice et stabiliter ad Dei plebem congregandam et sacra peragenda destinatum, sollemni ritu Domino dicari decet, secundum perantiquam Ecclesiæ consuetudinem.

3. Ecclesia, ut eius natura postulat, sit sacris celebrationibus apta, decora, nobili fulgens pulchritudine non mera sumptuositate, atque rerum supernarum symbolum vere exsistat et signum. « Generalis itaque dispositio ædis sacræ ea sit oportet quæ cœtus congregati imaginem quodammodo præ se ferat, atque congruam omnium ordinationem permittat necnon rectam muneris exsecutionem uniuscuiusque foveat ». Præterea in iis, quæ ad presbyterium, altare, sedem, ambonem locumque repositionis Ss.mi Sacramenti pertinent,

[1] Cf. Io 2, 21.

[2] Cf. S. Cyprianus, *De oratione dominica*, 23: PL 4, 553; Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 4: *A.A.S.* 57 (1965) p. 7.

[3] Cf. Io 4, 23.

disponendis, normis Institutionis generalis Missalis Romani obtemperetur.[4]

Item ea diligenter serventur quæ ad res et loca attinent ceteris sacramentis celebrandis destinata, in primis Baptismo et Pænitentiæ.[5]

II. De titulo ecclesiæ et de reliquiis Sanctorum in ea deponendis

4. Omnis ecclesia dedicanda titulum habere debet, qui sit vel Ss.ma Trinitas; Dominus noster Iesus Christus sub invocatione mysterii vitæ eius aut nominis in sacram liturgiam iam inducti; vel Spiritus Sanctus; vel B. Maria Virgo item sub aliqua appellatione in sacram liturgiam iam assumpta; vel Sancti Angeli; vel demum Sanctus in Martyrologio Romano aut in eius Appendice rite probata inscriptus, non vero Beatus sine Apostolicæ Sedis indulto. Ecclesiæ titulus unus tantum sit, nisi agatur de Sanctis, qui una simul in Calendario inscripti sunt.

5. Liturgiæ Romanæ traditio Martyrum aliorumve Sanctorum reliquias sub altari condendi, opportune servabitur.[6] Hæc tamen notentur:

a) Reliquiæ deponendæ eius sint magnitudinis ex qua intellegi possit humanorum corporum eas esse partes. Itaque vitandum est ne nimis exiguæ condantur reliquiæ unius vel complurium Sanctorum.

b) Maxima cum diligentia inspiciatur num reliquiæ deponendæ authenticæ sint. Præstat altare sine reliquiis dedicari quam dubiæ fidei reliquias sub eo deponi.

c) Reliquiarum capsa neque super altare neque in altaris mensa est collocanda sed, attenta altaris forma, sub altaris mensa condenda.

III. De dedicationis celebratione

De ritus ministro

6. Ad Episcopum, cui Ecclesiæ particularis cura commissa est, novas ecclesias in sua diœcesi ædificatas spectat Deo dicare.

[4] Cf. Missale Romanum, *Institutio generalis*, nn. 253, 257, 258, 259-267, 271, 272, 276-277. Cf. Rituale Romanum, *De sacra communione et de cultu mysterii eucharistici extra Missam*, nn. 6 et 9-11.

[5] Cf. Rituale Romanum, *Ordo Baptismi parvulorum*, n. 25; *Ordo Pænitentiæ*, n. 12.

[6] Cf. Missale Romanum, *Institutio generalis*, n. 266.

Si vero ipse ritui præesse nequit, munus committet alii Episcopo, præsertim ei quem socium vel adiutorem habet in cura pastorali fidelium pro quibus nova ecclesia est ædificata; in adiunctis omnino peculiaribus, presbytero, cui speciale dabit mandatum.

De die eligendo

7. Ad novam ecclesiam dedicandam, eligatur dies quo fideles frequentiores convenire possint, præsertim dies dominica. Cum in hoc ritu sensus dedicationis omnia pervadat, dedicatio novæ ecclesiæ peragi nequit diebus quibus mysterium quod eo die commemoratur prætermitti nullatenus decet: in Triduo paschali, in Nativitate Domini, in Epiphania, in Ascensione, in Dominica Pentecostes, in Feria IV Cinerum, in feriis Hebdomadæ sanctæ, in Commemoratione omnium fidelium defunctorum.

De Missa dedicationis

8. Missæ celebratio ritui dedicationis ecclesiæ intime inhæret; quare, cum ecclesia dedicatur, omissis textibus liturgiæ diei, cum pro liturgia verbi tum pro liturgia eucharistica sumuntur textus proprii.

9. Episcopum decet Missam concelebrare cum presbyteris qui ei sociantur in ritibus dedicationis explendis et cum illis quibus traditum est munus regendæ parœciæ vel communitatis pro qua ecclesia est ædificata.

De Officio dedicationis

10. Dies quo dedicatur ecclesia sollemnitas est habenda in ipsa ecclesia quæ dedicatur.

Celebratur Officium de dedicatione ecclesiæ, quod incipit a I Vesperis. Ubi peragitur ritus depositionis reliquiarum, valde expedit Vigiliam ad reliquias Martyris vel Sancti, quæ sub altari deponendæ sunt, celebrari: quod optime fit Officium lectionis, ex Communi vel ex Proprio convenienti sumptum, celebrando. Ad participationem autem populi fovendam, Vigilia, servatis iis quæ iure statuuntur,[7] opportune aptetur.

[7] Cf. Liturgia Horarum, *Institutio generalis,* nn. 70-73.

De ritus partibus

A. De ingressu in ecclesiam

11. Ritus dedicationis incipit ab ingressu in ecclesiam, qui tribus modis peragi potest; ille autem adhibendus est modus qui locorum et temporum adiunctis maxime idoneus videatur:

— *processio* ad ecclesiam dedicandam: fit collecta in vicina ecclesia vel alio apto loco, ex quo Episcopus, ministri fidelesque ad ecclesiam dedicandam orantes et psallentes pergunt;

— *introitus sollemnis*: communitas, si processio fieri nequit vel haud opportuna videtur, congregatur ad fores ecclesiæ;

— *introitus simplex*: fideles congregantur in ipsa ecclesia; Episcopus, concelebrantes, ministri de secretario exeunt more consueto.

Duo ritus eminent in ingressu in novam ecclesiam:

a) Traditio ecclesiæ: legati eorum qui ecclesiæ ædificandæ operam dederunt, eam Episcopo tradunt.

b) Aspersio ecclesiæ: Episcopus aquam benedicit eaque populum, qui est templum spiritale, ecclesiæ parietes atque altare aspergit.

B. De liturgia verbi

12. In liturgia verbi tres lectiones dicuntur selectæ ex iis quæ pro ritu dedicationis ecclesiæ in Lectionario (III, 233-244) proponuntur.
In prima lectione tamen legitur semper, tempore quoque paschali, locus Nehemiæ quo describitur populus Ierusalem apud Esdram scribam congregatus ad legis Dei proclamationem audiendam (Neh 8, 1-4a. 5-6. 8-10).

13. Post lectiones Episcopus homiliam habet in qua illustrat cum lectiones biblicas tum sensum dedicationis ecclesiæ.
Symbolum semper dicitur. Oratio autem universalis omittitur, cum eius loco Litaniæ Sanctorum canantur.

C. De Prece dedicationis et de ecclesiæ atque altaris unctione

De reliquiarum Sanctorum depositione

14. Post Litaniarum cantum, si casus fert, deponuntur reliquiæ alicuius Martyris ad significandum sacrificium membrorum de Capitis sacrificio sumpsisse principium.[8] Ubi tamen Martyris reliquiæ non habentur, tunc in altari includi possunt reliquiæ alius Sancti.

De Prece dedicationis

15. Celebratio Eucharistiæ maximus est ritus isque unus necessarius ad ecclesiam dedicandam; attamen, secundum communem traditionem Ecclesiæ, cum Orientis tum Occidentis, dicitur etiam peculiaris Prex dedicationis, qua propositum significatur ecclesiam in perpetuum Domino dicandi eiusque benedictio exposcitur.

De ritibus unctionis, incensationis, velationis, illuminationis altaris

16. Ritus unctionis, incensationis, velationis, illuminationis altaris visibilibus signis nonnulla exprimunt illius invisibilis operis, quod Dominus per Ecclesiam divina mysteria, Eucharistiam præsertim, celebrantem, perficit.

a) *Unctio* altaris et parietum ecclesiæ:

— Chrismatis unctione altare fit symbolum Christi, qui præ omnibus « Unctus » est et vocatur; nam Pater Spiritu Sancto unxit eum summumque constituit Sacerdotem, qui in altari Corporis sui vitæ sacrificium pro omnium salute offerret;
— Unctio autem ecclesiæ significat eam cultui christiano totam et in perpetuum dicari. Duodecim fiunt unctiones secundum traditionem liturgicam vel, pro opportunitate, quattuor, quibus significatur ecclesiam imaginem esse civitatis sanctæ Ierusalem.

b) *Incensum* super altare comburitur ut significetur sacrificium Christi, quod ibi in mysterio perpetuatur, ad Deum ascendere in odorem

[8] Cf. Missale Romanum, *Commune Martyrum* 8, Super oblata; S. AMBROSIUS, *Epistula* 22, 13: PL 16, 1023: « Succedant victimæ triumphales in locum ubi Christus hostia est. Sed ille super altare, qui pro omnibus passus est. Isti sub altari, qui illius redempti sunt passione ». Cf. Ps. MAXIMUS TAURINENSIS, *Sermo* 78: PL 57, 689-690. Ap 6, 9: « Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei et propter testimonium quod habebant ».

suavitatis; sed et ut exprimatur fidelium orationes placabiles gratasque usque ad thronum Dei pervenire.[9]

Incensatio autem aulæ ecclesiæ indicat eam per dedicationem domum fieri orationis; sed incensatur in primis Populus Dei; ille enim est templum vivum, in quo quisque fidelis est altare spiritale.[10]

c) *Velatio altaris* indicat altare christianum sacrificii eucharistici aram et Domini mensam esse, quam circum stantes sacerdotes et fideles, una eademque actione, diverso autem munere, Memoriale mortis et resurrectionis Christi celebrant et dominicam Cenam manducant. Ideo altare ut convivii sacrificalis mensa paratur ac festive exornatur. Quod aperte significat ipsum esse mensam Domini ad quam omnes fideles lætantes conveniunt ut divino cibo, Corpore nempe et Sanguine Christi immolati, reficiantur.

d) *Illuminatio* altaris, quam illuminatio ecclesiæ sequitur, admonet Christum esse « Lumen ad revelationem gentium »,[11] cuius claritate resplendet Ecclesia et per eam cuncta hominum familia.

D. De Eucharistiæ celebratione

17. Altari parato, Episcopus Eucharistiam celebrat, quæ totius ritus est pars præcipua necnon antiquissima.[12] Eucharistiæ enim celebratio aptissime cohæret ritui dedicationis ecclesiæ:

— celebratione sacrificii eucharistici finis præcipuus ad quem ecclesia est ædificata atque altare exstructum attingitur ac signis præclaris manifestatur;

— præterea Eucharistia, quæ sumentium corda sanctificat, altare et celebrationis locum quodammodo consecrat, ut antiqui Ecclesiæ Patres haud semel affirmarunt: « Hoc altare admirandum est, quia natura quidem lapis est, sanctum autem efficitur, postquam Christi Corpus excepit »;[13]

— nexus denique quo dedicatio ecclesiæ cum Eucharistiæ celebratione arcte coniungitur, ex hoc quoque patet quod Missa dedicationis Præfatione propria ditatur, quæ ritui intime inhæret.

[9] Cf. Ap 8, 3-4.
[10] Cf. Rom 12, 1.
[11] Lc 2, 32.
[12] Cf. Vigilius PP., *Epistula ad Profuturum episcopum*, IV: PL 84, 832.
[13] S. Ioannes Chrysostomus, *Homil. XX in II Cor.*, 3: PG 61, 540.

IV. De ritu aptando

De aptationibus quæ Conferentiis Episcopalibus competunt

18. Conferentiæ Episcopales hunc Ordinem uniuscuiusque regionis moribus pro opportunitate aptare possunt, ita tamen ut nihil adimatur eius nobilitati ac sollemnitati.

Hæc vero serventur:

a) celebratio Missæ cum Præfatione propria et Prex dedicationis numquam omittendæ sunt;

b) ritus, quibus ex traditione liturgica peculiaris sensus atque vis inest (cf. supra n. 16), nisi graves obstent rationes, serventur, formulis, si casus fert, convenienter aptatis.

In aptationibus autem peragendis, competens auctoritas ecclesiastica Sedem Apostolicam consulat atque de eius consensu aptationes inducat.

De accommodationibus quæ ministris competunt

19. Ad Episcopum et ad eos qui ritum celebrandum curant spectat:
— modum introitus in ecclesiam peragendi statuere (cf. supra n. 11);
— modum novæ ecclesiæ Episcopo tradendæ definire (cf. supra n. 11);
— de opportunitate reliquias Sanctorum deponendi decernere; qua in re bonum spiritale fidelium in primis est prospiciendum et ea quæ n. 5 præcipiuntur sunt servanda.

Ad rectorem autem ecclesiæ dedicandæ, adiuvantibus cooperatoribus in actione pastorali, omnia statuere ac parare spectat quod ad lectiones, cantus necnon subsidia pastoralia cum ad fovendam fructuosam participationem populi tum ad decorem celebrationis promovendum pertinet.

V. De præparatione pastorali

20. Ut fideles ritui dedicationis fructuose intersint, rector ecclesiæ dedicandæ aliique viri rei pastoralis periti eos erudiant oportet de celebrationis vi atque virtute spiritali, ecclesiali, missionali.

[14] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 40: *A.A.S.* 56 (1964) p. 111.

Fidelibus proinde illustrentur oportet variæ partes ecclesiæ earumque usus necnon Ordo dedicationis præcipuaque symbola liturgica quæ in eo usurpantur, ita ut ipsi, opportunis adhibitis subsidiis, per ritus et preces sensum dedicationis ecclesiæ plene intellegentes, sacram actionem conscie, pie, actuose participent.

VI. De rebus parandis pro ecclesiæ dedicatione

21. Ad ritum dedicationis ecclesiæ celebrandum, hæc parentur:

a) *In loco ubi fit statio*:

— Pontificale Romanum;
— crux in processione ferenda;
— si reliquiæ Sanctorum processionaliter deferendæ sunt, ea quæ n. 24 a) indicantur.

b) *In secretario aut in presbyterio aut in aula ecclesiæ dedicandæ* prout unaquæque res postulat:

— Missale Romanum, Lectionarium;
— vas aquæ benedicendæ cum aspersorio;
— vasa sancti chrismatis;
— mantilia ad extergendam mensam altaris;
— si casus fert, tobalea linea cerata vel linteum impermeabile, ad mensuram altaris;
— pelvis et urceus cum aqua, mantilia et omnia necessaria ad abluendas manus Episcopi et presbyterorum qui parietes ecclesiæ unxerunt;
— gremiale linteum;
— foculus ad urenda incensa vel aromata; vel grana incensi et candelæ subtiles super altare comburenda;
— turibula cum navicula incensi et cochleari;
— calix, corporale, purificatoria, manutergium;
— panis, vinum, aqua ad Missam celebrandam;
— crux altaris, nisi in presbyterio crux iam sit posita, vel crux quæ in processione introitus defertur prope altare collocetur;
— tobalea, cerei, candelabra;
— pro opportunitate, flores.

22. Antiqua consuetudo collocandi cruces ex lapide vel ære vel ex alia apta materia confectas aut in ipsis parietibus ecclesiæ eas insculpendi, laudabiliter servabitur. Ideoque parentur duodecim vel quattuor cruces, secundum numerum unctionum (cf. supra n. 16) et apte distribuantur in parietibus ecclesiæ, convenienti altitudine. Sub unaquaque cruce aptetur ansula, in qua infigatur parvum candelabrum cum candela accendenda.

23. In Missa dedicationis ecclesiæ, sacræ vestes coloris albi vel festivi adhibentur. Parentur autem:

— pro Episcopo: alba, stola, planeta, mitra, baculus pastoralis, pallium si eo fruitur;
— pro presbyteris concelebrantibus: vestes pro Missa concelebranda;
— pro diaconis: albæ, stolæ et dalmaticæ;
— pro ceteris ministris: albæ vel aliæ vestes legitime probatæ.

24. Si reliquiæ Sanctorum sub altari condendæ sunt, hæc parentur:

a) *In loco ubi fit statio*:

— capsa cum reliquiis, floribus et facibus circumdata. Si fit introitus simplex, capsa apto presbyterii loco, ante ritus initium, collocari potest;
— pro diaconis, qui reliquias deponendas portabunt: alba, stola coloris rubri, si de reliquiis Martyris agitur, vel coloris albi in ceteris casibus, et, si præsto sunt, dalmaticæ. Si vero reliquiæ a presbyteris deferuntur, loco dalmaticarum, pro ipsis planetæ præparentur.

Reliquiæ tamen deferri possunt etiam ab aliis ministris, albis vel vestibus legitime probatis indutis.

b) *In presbyterio*:

— parva mensa in qua deponitur capsa reliquiarum dum prima pars ritus dedicationis peragitur.

c) *In secretario*:

— maltha seu arenatum quo caveæ operculum claudatur; adsit quoque faber cæmentarius, qui suo tempore claudat sepulcrum reliquiarum.

25. Actorum dedicationis ecclesiæ duo conficiantur exemplaria, Episcopo, ecclesiæ rectori legatisque communitatis localis subsignanda, quorum unum in diœceseos, alterum in ecclesiæ dedicatæ ta-

bulario servetur. Ubi vero fit depositio reliquiarum, tertium actorum exemplar conficiatur, opportune in ipsa reliquiarum capsa condendum.

In actis mentio fiat anni, mensis, diei dedicationis ecclesiæ, nominis Episcopi ritum celebrantis, Tituli ecclesiæ necnon, si casus fert, nominum Martyrum vel Sanctorum, quorum reliquiæ sub altari condendæ sunt.

Præterea, convenienti loco ecclesiæ, ponatur inscriptio in qua fiat mentio diei, mensis, anni peractæ dedicationis, Tituli ecclesiæ necnon nominis Episcopi ritum celebrantis.

VII. De Anniversario dedicationis

A. In die anniversario dedicationis ecclesiæ cathedralis

26. Quo clarius emineant momentum et dignitas Ecclesiæ particularis, celebratio anniversaria dedicationis eius ecclesiæ cathedralis peragenda est, gradu sollemnitatis, in ipsa ecclesia cathedrali, gradu autem festi, in ceteris ecclesiis diœceseos, recurrente die quo dedicata est ecclesia.[15] Si hic dies perpetuo impeditur, celebratio assignetur proximo diei libero.

Expedit vero die anniversario dedicationis Episcopum Eucharistiam concelebrare in ecclesia cathedrali cum Capitulo canonicorum vel Consilio presbyterali, fidelibus quam frequentissimis participantibus.

B. In die anniversario dedicationis ecclesiæ propriæ

27. Dies anniversarius dedicationis ecclesiæ gradu sollemnitatis celebratur.[16]

[15] Cf. Calendarium Romanum, *Tabula dierum liturgicorum,* I 4 b et II 8 b.
[16] *Ibid.,* I 4 b.

ORDO DEDICATIONIS

Pars Prima

Ritus initiales

Ingressus in ecclesiam

28. Ingressus in ecclesiam dedicandam, pro temporum et locorum adiunctis, fit uno ex tribus modis qui infra describuntur.

A. Primus modus: Processio

29. Porta ecclesiæ dedicandæ clausa esse debet. Hora competenti populus congregatur in vicinam ecclesiam vel alium aptum locum ex quo incedat processio ad ecclesiam. Martyrum vel Sanctorum reliquiæ, si deponendæ sunt sub altari, in loco ubi populus congregatur, parantur.

30. Episcopus et presbyteri concelebrantes, diaconi et ministri, sua quisque veste induti, accedunt ad locum ubi populus est congregatus. Episcopus, depositis baculo et mitra, salutat populum dicens:

Grátia et pax
sit ómnibus vobis
in Ecclésia sancta Dei

vel alia apta verba e sacra Scriptura præsertim deprompta. Populus respondet:

Et cum spíritu tuo

vel alia apta verba.

Deinde Episcopus populum alloquitur his vel similibus verbis:

Exsultántes, fratres dilectíssimi,
huc convénimus ad novam ecclésiam
sacrifícii domínici celebratióne dedicándam.
His sacris rítibus pia adsímus devotióne,
verbum Dei audiéntes cum fide,
ut commúnitas nostra,
ex uno baptísmatis fonte renáta

atque eádem mensa nutríta,
in templum spiritále crescat
et supérno provehátur amóre
ad unum altáre congregáta.

31. Expleta admonitione, Episcopus resumit mitram et baculum et incipit processio ad ecclesiam dedicandam. Non adhibentur candelæ, præter eas quæ reliquias Sanctorum circumdant. Tus non uritur neque in processione neque in Missa ante ritum incensationis et illuminationis altaris et ecclesiæ (cf. infra nn. 66-71). Præcedit crucifer; sequuntur primum ministri; deinde diaconi aut presbyteri cum reliquiis Sanctorum, ministris vel fidelibus cum facibus hinc et inde comitantibus; postea presbyteri concelebrantes; tum Episcopus duobus diaconis retro sequentibus; denique fideles.

32. Incedente processione, cantatur antiphona (cf. App. n. 5):

In domum Dómini lætántes íbimus

cum Psalmo 121, vel alius aptus cantus.

Psalmus 121

1 Lætátus sum in eo quod dixérunt mihi: *
« In domum Dómini íbimus ».
2 Stantes iam sunt pedes nostri *
in portis tuis, Ierúsalem.

(Repetitur antiphona)

3 Ierúsalem, quæ ædificáta est ut cívitas *
sibi compácta in idípsum.
4 Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini, *
testimónium Israel,
ad confiténdum nómini Dómini.
5 Quia illic sedérunt sedes ad iudícium, *
sedes domus David.

(Repetitur antiphona)

6 Rogáte quæ ad pacem sunt Ierúsalem, *
secúri sint diligéntes te.
7 Fiat pax in muris tuis, *
et secúritas in túrribus tuis.

(Repetitur antiphona)

8 Propter fratres meos et próximos meos *
loquar: « Pax in te! ».
9 Propter domum Dómini Dei nostri *
exquíram bona tibi.

(Repetitur antiphona)

33. Ad limen ecclesiæ omnes sistunt. Legati eorum qui ecclesiæ ædificandæ operam dederunt (parœciæ aut diœceseos fideles, largitores, architecti, opifices) ædificium Episcopo tradunt, ei offerentes, pro rerum et locorum adiunctis, vel instrumenta iuridica possessionis ædificii vel claves vel formam ædis vel librum in quo « iter » operis descriptum est et nomina eorum, qui ei præfuerunt, necnon opificum indicata sunt. Unus e legatis Episcopum et communitatem breviter alloquitur, illustrans, si casus fert, quid nova ecclesia arte et peculiari forma exprimat. Deinde Episcopus hortatur presbyterum, cui munus pastorale ecclesiæ commissum est, ut ecclesiæ portam aperiat.

34. Porta reserata, Episcopus populum ad ineundam ecclesiam invitat his vel similibus verbis:

Introíte portas Dómini in confessióne,
átria eius in hymnis.

Tum, præcedente crucifero, Episcopus et omnes ingrediuntur ecclesiam. Intrante processione, cantatur antiphona (cf. App. n. 6):

Elevámini, portæ æternáles,
et introíbit Rex glóriæ

cum Psalmo 23, vel alius aptus cantus.

Psalmus 23

1 Dómini est terra et plenitúdo eius, *
orbis terrárum et qui hábitant in eo.
2 Quia ipse super mária fundávit eum, *
et super flúmina firmávit eum.
(Repetitur antiphona)

3 Quis ascéndet in montem Dómini, *
aut quis stabit in loco sancto eius?
4 Innocens mánibus et mundo corde, †
qui non accépit in vanum nomen eius, *
nec iurávit in dolum.
(Repetitur antiphona)

5 Hic accípiet benedictiónem a Dómino, *
et iustificatiónem a Deo salutári suo.
6 Hæc est generátio quæréntium eum, *
quæréntium fáciem Dei Iacob.
(Repetitur antiphona)

7 Attóllite, portæ, cápita vestra, †
et elevámini, portæ æternáles, *
et introíbit rex glóriæ.
8 Quis est iste rex glóriæ? *
Dóminus fortis et potens,
Dóminus potens in prœlio.
(Repetitur antiphona)

9 Attóllite, portæ, cápita vestra, †
et elevámini, portæ æternáles, *
et introíbit rex glóriæ.
10 Quis est iste rex glóriæ? *
Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.
(Repetitur antiphona)

35. Episcopus, omisso altaris osculo, pergit ad cathedram; concelebrantes, diaconi, ministri ad loca sibi in presbyterio assignata. Reli-

quiæ Sanctorum, apto presbyterii loco inter faces ponuntur. Deinde benedicitur aqua, ritu qui infra nn. 48-50 describitur.

B. Secundus modus: Introitus sollemnis

36. Si processio fieri non potest vel haud opportuna videtur, fideles congregantur ad portam ecclesiæ dedicandæ, ubi reliquiæ Sanctorum privatim collocatæ sunt.

37. Episcopus et presbyteri concelebrantes, diaconi et ministri, sua quisque veste induti, crucifero præcedente, accedunt ad portam ecclesiæ, ubi populus est congregatus. Expedit portam ecclesiæ clausam esse atque Episcopum, concelebrantes, diaconos, ministros ad eam accedere ex loco externo.

38. Episcopus, depositis baculo et mitra, salutat populum, dicens:

Grátia et pax
sit cum ómnibus vobis
in Ecclésia sancta Dei

vel alia apta verba e sacra Scriptura præsertim deprompta. Populus respondet:

Et cum spíritu tuo

vel alia apta verba.

Deinde Episcopus populum alloquitur his vel similibus verbis:

Exsultántes, fratres dilectíssimi,
huc convénimus ad novam ecclésiam
sacrifícii domínici celebratióne dedicándam.
His sacris rítibus pia adsímus devotióne,
verbum Dei audiéntes cum fide,
ut commúnitas nostra,
ex uno baptísmatis fonte renáta
atque eádem mensa nutríta,
in templum spiritále crescat
et supérno provehátur amóre
ad unum altáre congregáta.

39. Admonitione expleta, Episcopus mitram resumit et pro opportunitate cantatur antiphona (cf. App. n. 5):

In domum Dómini lætántes íbimus

cum Psalmo 121 (cf. supra n. 32), vel alius aptus cantus.

40. Tunc legati eorum qui ecclesiæ ædificandæ operam dederunt (parœciæ aut diœceseos fideles, largitores, architecti, opifices) ædificium Episcopo tradunt, ei offerentes, pro rerum et locorum adiunctis, vel instrumenta iuridica possessionis ædificii vel claves vel formam ædis vel librum in quo « iter » operis descriptum est, et nomina eorum, qui ei præfuerunt, necnon opificum indicata sunt. Unus e legatis Episcopum et communitatem breviter alloquitur, illustrans, si casus fert, quid nova ecclesia arte et peculiari forma exprimat. Deinde Episcopus, si porta clausa est, hortatur presbyterum, cui munus pastorale ecclesiæ commissum est, ut ecclesiæ portam aperiat.

41. Tum Episcopus, accepto baculo, populum ad ineundam ecclesiam invitat his vel similibus verbis:

Introíte portas Dómini in confessióne,
átria eius in hymnis.

Postea, præcedente crucifero, Episcopus et omnes ecclesiam ingrediuntur. Intrante processione, cantatur antiphona (cf. App. n. 6):

Elevámini, portæ æternáles,
et introíbit Rex glóriæ

cum Psalmo 23 (cf. supra n. 34), vel alius aptus cantus.

42. Episcopus, omisso altaris osculo, pergit ad cathedram; concelebrantes, diaconi, ministri ad loca sibi in presbyterio assignata. Reliquiæ Sanctorum, apto presbyterii loco inter faces ponuntur. Deinde benedicitur aqua, ritu qui infra nn. 48-50 describitur.

C. Tertius modus: Introitus simplex

43. Si introitus sollemnis fieri non potest, fit introitus simplex. Populo congregato, Episcopus et presbyteri concelebrantes, diaconi et ministri, sua quisque veste induti, crucifero præcedente, e secretario per aulam ecclesiæ ad presbyterium pergunt.

44. Reliquiæ Sanctorum, si sub altari deponendæ sunt, in ipsa processione introitus ad presbyterium afferuntur sive e secretario sive e sacello, ubi iam inde a vigilia ad venerationem fidelium sunt expositæ. Iusta tamen de causa parari possunt ante ritus initium, apto presbyterii loco, facibus circum ardentibus.

45. Incedente processione, canitur antiphona ad introitum (cf. App. n. 7):

Deus in loco sancto suo,
Deus, qui inhabitáre facit unánimes in domo:
ipse dabit virtútem et fortitúdinem plebi suæ

vel antiphona (cf. App. n. 5):

In domum Dómini lætántes íbimus

cum Psalmo 121 (cf. supra n. 32), val alius aptus cantus.

46. Cum processio ad presbyterium pervenerit, reliquiæ Sanctorum, apto loco deponuntur, facibus circum ardentibus; presbyteri concelebrantes, diaconi, ministri locis sibi assignatis disponuntur; Episcopus autem, omisso altaris osculo, ad cathedram pergit. Deinde, depositis baculo et mitra, populum salutat, dicens:

Grátia et pax
sit ómnibus vobis
in Ecclésia sancta Dei

vel alia apta verba e sacra Scriptura præsertim deprompta. Populus respondet:

Et cum spíritu tuo

vel alia apta verba.

47. Tunc legati eorum qui ecclesiæ ædificandæ operam dederunt (parœciæ aut diœceseos fideles, largitores, architecti, opifices) ædificium Episcopo tradunt, ei offerentes, pro rerum et locorum adiunctis, vel instrumenta iuridica possessionis ædificii vel claves vel formam ædis vel librum in quo « iter » operis descriptum est, et nomina eorum, qui ei præfuerunt, necnon opificum indicata sunt. Unus e legatis Episcopum et communitatem breviter alloquitur, illustrans, si casus fert, quid nova ecclesia arte et peculiari forma exprimat.

Benedictio aquæ et aspersio

48. Ritu introitus expleto, Episcopus aquam benedicit ad aspergendum populum in signum pænitentiæ et in memoriam baptismi atque ad parietes et altare novæ ecclesiæ abluenda. Ministri ad Episcopum stantem ad cathedram ferunt vas cum aqua. Episcopus omnes ad orandum invitat his vel similibus verbis:

Hanc domum, fratres caríssimi,
sollémni ritu dicántes,
Dóminum Deum nostrum súpplices exorémus
ut benedícere dignétur hanc creatúram aquæ,
qua nos aspergémur
in pæniténtiæ signum ac baptísmi memóriam
et novæ abluéntur paríetes novúmque altáre.
Ipse autem Dóminus nos sua ádiuvet grátia
ut dóciles Spirítui, quem accépimus,
in Ecclésia sua maneámus fidéles.

Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc Episcopus prosequitur:

Deus, per quem omnis creatúra ad vitæ prodit lumen,
tanta hómines proséqueris dilectióne
ut eos non solum patérna alas cura,
sed caritátis rore a peccátis cleménter emúndes
et ad Christum Caput constánter redúcas:
misericórdi enim consílio statuísti

ut qui in sacram descendíssent undam peccatóres,
Christo commórtui, insóntes resúrgerent
eiúsque membra fíerent
atque ætérni prǽmii coherédes.
Hanc ergo creatúram aquæ tua benedictióne ✠ sanctífica,
ut, in nos et huius ecclésiæ paríetes aspérsa,
signum exsístat illíus salutáris lavácri,
quo, in Christo ablúti, templum Spíritus tui sumus effécti;
nos autem cum ómnibus frátribus,
qui in hac ecclésia divína celebrábunt mystéria,
ad cæléstem Ierúsalem perveníre concédas.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

49. Episcopus, diaconis comitantibus, aqua benedicta populum et parietes aspergit, per aulam ecclesiæ transiens et, ad presbyterium reversus, aspergit altare. Interea cantatur antiphona (cf. App. n. 8):

Vidi aquam egrediéntem de templo,
a látere dextro, allelúia;
et omnes, ad quos pervénit aqua ista,
salvi facti sunt, et dicent:
Allelúia, allelúia

aut, tempore Quadragesimæ, antiphona (cf. App. n. 9):

Dum sanctificátus fúero in vobis,
congregábo vos de univérsis terris,
et effúndam super vos aquam mundam,
et mundabímini ab ómnibus inquinaméntis vestris;
et dabo vobis spíritum novum

vel alius aptus cantus.

50. Post aspersionem, Episcopus ad cathedram revertitur et, cantu expleto, stans, manibus iunctis, dicit:

Deus, misericordiárum Pater,
adsit in hac oratiónis domo
et Spíritus Sancti grátia
templum puríficet habitatiónis suæ,
quod nos sumus.

Omnes:

Amen.

Hymnus et collecta

51. Deinde dicitur hymnus Glória in excélsis Deo.

52. Quo hymno finito, Episcopus, manibus iunctis, dicit:

Orémus.

Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc Episcopus, manibus extensis, dicit:

Omnípotens sempitérne Deus,
effúnde super hunc locum grátiam tuam,
et ómnibus te invocántibus auxílii tui munus impénde,
ut hic verbi tui et sacramentórum virtus
ómnium fidélium corda confírmet.
Per Dóminum.

Omnes:

Amen.

PARS SECUNDA

LITURGIA VERBI

53. Verbi Dei proclamatio hoc modo convenienter celebratur: duo lectores, quorum unus defert Lectionarium Missæ, et psalmista ad Episcopum veniunt.

Episcopus, stans cum mitra, accipit Lectionarium, ostendit populo, et dicit:

Semper résonet in hac aula Dei verbum
quod Christi mystérium vobis apériat
et vestram salútem in Ecclésia operétur.

Omnes respondent:

Amen.

Deinde Episcopus Lectionarium priori lectori tradit.
Lectores et psalmista ad ambonem pergunt, afferentes Lectionarium, omnibus aspiciendum.

54. Lectiones ordinantur hoc modo:

a) primum semper legitur liber Nehemiæ 8, 1-4a. 5-6. 8-10, quem sequitur cantus Psalmi 18 B, 8-9. 10. 15 cum responsorio:

℟. Verba tua, Dómine, spíritus et vita sunt.

b) secunda lectio et Evangelium sumuntur ex textibus qui in Lectionario (III, 233-257) pro ritu dedicationis ecclesiæ proponuntur.
Ad Evangelium non portantur luminaria nec incensum.

55. Post Evangelium Episcopus homiliam habet in qua illustrat cum lectiones biblicas tum sensum ritus.

56. Expleta homilia dicitur Symbolum. Oratio autem universalis omittitur cum eius loco Litaniæ Sanctorum canantur.

Pars Tertia

Prex dedicationis et unctiones

Supplicatio litanica

57. Deinde Episcopus populum ad orandum invitat his vel similibus verbis:

Orémus, dilectíssimi nobis,
Deum Patrem omnipoténtem,
qui fidélium corda spiritália sibi éfficit templa,
nostris autem vócibus
fratérna sociétur Sanctórum supplicátio.

58. Tunc canuntur Litaniæ Sanctorum, omnibus respondentibus; quod, diebus dominicis necnon tempore paschali, fit omnibus stantibus; ceteris autem diebus, flexis genibus; quo in casu diaconus admonet:

Flectámus génua.

59. In Litaniis, apto loco, adduntur invocationes Titularis ecclesiæ, Patroni loci et, si casus fert, Sanctorum quorum reliquiæ deponendæ sunt. Addi quoque possunt aliæ petitiones, quæ peculiarem ritus naturam et fidelium condicionem respiciant. Sanctorum cognomina, inter parentheses posita, opportune omittuntur, quando Litaniæ cantantur (cf. App. n. 10).

Kýrie, eléison.
Kýrie, eléison.
Christe, eléison.
Christe, eléison.
Kýrie, eléison.
Kýrie, eléison.

Sancta María, Mater Dei,	ora pro nobis
Sancte Míchael,	ora pro nobis
Sancti Angeli Dei,	oráte pro nobis
Sancte Ioánnes Baptísta,	ora pro nobis
Sancte Ioseph,	ora pro nobis
Sancti Petre et Paule,	oráte pro nobis
Sancte Andréa,	ora pro nobis
Sancte Ioánnes,	ora pro nobis
Sancta María Magdaléna,	ora pro nobis
Sancte Stéphane,	ora pro nobis
Sancte Ignáti Antiochéne,	ora pro nobis
Sancte Lauénti,	ora pro nobis
Sanctæ Perpétua et Felícitas,	oráte pro nobis
Sancta Agnes,	ora pro nobis
Sancte Gregóri,	ora pro nobis
Sancte Augustíne,	ora pro nobis
Sancte Athanási,	ora pro nobis

Sancte Basíli, ora pro nobis
Sancte Martíne, ora pro nobis
Sancte Benedícte, ora pro nobis
Sancti Francísce et Domínice, oráte pro nobis
Sancte Francísce (Xavier), ora pro nobis
Sancte Ioánnes María (Vianney), ora pro nobis
Sancta Catharína Senénsis, ora pro nobis
Sancta Terésia (de Avila), ora pro nobis
Omnes Sancti et Sanctæ Dei, oráte pro nobis

Propítius esto, líbera nos, Dómine
Ab omni malo, líbera nos, Dómine
Ab omni peccáto, líbera nos, Dómine
A morte perpétua, líbera nos, Dómine
Per incarnatiónem tuam, líbera nos, Dómine
Per mortem et resurrectiónem tuam, líbera nos, Dómine
Per effusiónem Spíritus Sancti, líbera nos, Dómine

Peccatóres, te rogámus, audi nos
Ut Ecclésiam tuam sanctam
régere et conserváre dignéris, te rogámus, audi nos
Ut domnum apostólicum et omnes
ecclesiásticos órdines in sancta
religióne conserváre dignéris, te rogámus, audi nos
Ut cunctis pópulis pacem et veram
concórdiam donáre dignéris, te rogámus, audi nos
Ut nosmetípsos in tuo sancto
servítio confortáre et conserváre
dignéris, te rogámus, audi nos
Ut hanc ecclésiam consecráre
dignéris, te rogámus, audi nos
Iesu, Fili Dei vivi, te rogámus, audi nos
Christe, audi nos.
Christe, audi nos.
Christe, exáudi nos.
Christe, exáudi nos.

60. Litaniarum cantu expleto, Episcopus stans, extensis manibus, dicit:

Supplicatiónes nostras, quǽsumus, Dómine,
intercessióne beátæ Maríæ Vírginis
et ómnium Sanctórum, propitiátus admítte,
ut hæc ædes tuo nómini dicánda
domus fiat salútis et grátiæ,
ubi christianórum plebs, in unum convéniens,
te adóret in spíritu et veritáte
et se ædíficet in caritáte.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Diaconus, si casus fert, admonet:

Leváte.

Et omnes surgunt. Episcopus mitram resumit.

Ubi vero reliquiæ Sanctorum non deponuntur, Episcopus statim dicit precem dedicationis, ut infra n. 62 indicatur.

Depositio reliquiarum

61. Deinde, si Martyrum vel aliorum Sanctorum reliquiæ sub altari deponendæ sunt, Episcopus ad altare accedit. Diaconus vel presbyter reliquias Episcopo affert, qui sepulcro opportune parato eas condit. Interea canitur antiphona (cf. App. n. 11):

Sub altári Dei sedes accepístis, Sancti Dei:
intercédite pro nobis ad Dóminum Iesum Christum

vel antiphona (cf. App. n. 12):

Córpora Sanctórum in pace sepúlta sunt,
et vivent nómina eórum in ætérnum (T. P. Allelúia)

cum Psalmo 14, vel alius aptus cantus.

Psalmus 14

1 Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo? *
quis requiéscet in monte sancto tuo?

(Repetitur antiphona)

2 Qui ingréditur sine mácula, et operátur iustítiam; *
qui lóquitur veritátem in corde suo,
3 qui non egit dolum in lingua sua, †
nec fecit próximo suo malum, *
et oppróbrium non íntulit próximo suo.

(Repetitur antiphona)

4 Ad níhilum reputátus est in conspéctu eius malígnus, *
timéntes autem Dóminum gloríficat.
Qui iurat in detriméntum suum et non mutat, †
5 qui pecúniam suam non dedit ad usúram, *
et múnera super innocéntem non accépit.
Qui facit hæc, *
non movébitur in ætérnum.

(Repetitur antiphona)

Interea faber cæmentarius sepulcrum claudit, Episcopus autem ad cathedram revertitur.

Prex dedicationis

62. Quibus peractis, Episcopus, stans sine mitra ad cathedram vel apud altare, manibus extensis, elata voce dicit (cf. App. n. 13):

Deus, Ecclésiæ tuæ sanctificátor et rector,
nomen tuum nos decet festívo celebráre præcónio,
quia hódie fidélium plebs hanc oratiónis domum,
ubi te pie venerátur, verbo erudítur, álitur sacraméntis,
sollémni ritu cupit in perpétuum tibi dicáre.

Hæc ædes mystérium adúmbrat Ecclésiæ,
quam Christus suo sanctificávit cruóre
ut Sponsam sibi exhibéret glorиósam,
Vírginem fídei integritáte conspícuam,
Matrem Spíritus virtúte fecúndam.

Ecclésia sancta, elécta vínea Dómini,
cuius palmítibus mundus omnis implétur,
quæ propágines suas, ligno baiulánte,
suspénsas érigit ad regna cælórum.

Ecclésia felix, tabernáculum Dei cum homínibus,
templum sanctum, quod lapídibus vivis exstrúitur,
Apostolórum fundaméntis consístens,
Christo Iesu summo lápide anguári.

Ecclésia sublímis, Cívitas iugo montis erécta,
perspícua cunctis, et ómnibus clara,
ubi Agni lucérna fulget perénnis
et gratum résonat cánticum beatórum.

Súpplices ergo te, Dómine, adprecámur:
dignáre hanc ecclésiam et hoc altáre
cælésti sanctificatióne perfúndere,
ut locus sanctus semper exsístat
et mensa fiat in perpétuum Christi sacrifício paráta.

Hic unda divínæ grátiæ hóminum óbruat delícta,
ut fílii tui, Pater, peccáto mórtui
vitæ renascántur supérnæ.

Hic fidéles tui, altáris mensam circumstántes,
memoriále Páschatis célebrent
et verbi Christi eiúsque córporis reficiántur convívio.

Hic laudis oblátio iucúnda resúltet,
Angelórum concéntibus vox hóminum sociáta,
ac pro mundi salúte iugis ad te ascéndat orátio.

Hic páuperes misericórdiam invéniant,
oppréssi veram consequántur libertátem
cunctíque hómines filiórum tuórum índuant dignitátem,
donec ad illam, quæ sursum est, Ierúsalem,
exsultántes pervéniant.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum, Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sǽcula sæculórum.

Omnes:

Amen.

Unctio altaris et parietum ecclesiæ

63. Deinde Episcopus, deposita, si necesse est, planeta et assumpto gremiali linteo, ad altare accedit cum diaconis et aliis ministris, ex quibus unus vas chrismatis fert, et ad unctionem altaris et parietum ecclesiæ procedit ut infra n. 64 describitur.

Si vero Episcopus in ungendis parietibus ecclesiæ aliquos presbyteros, qui cum ipso sacrum ritum concelebrant, sibi sociare voluerit, unctione altaris peracta, illis vasa sacri chrismatis tradit et cum ipsis ad unctiones peragendas procedit.

Munus tamen ungendi parietes Episcopus solis presbyteris committere potest: quo in casu, post unctionem altaris, ipsis vasa sacri chrismatis tradit.

64. Episcopus, stans ante altare, elata voce dicit:

Altáre ac domum,
quæ nostro línimus ministério,
Dóminus sua virtúte sanctíficet,
ut Christi et Ecclésiæ mystérium
visíbili éxprimant signo.

Deinde in medium altare eiusque quattuor angulos sacrum chrisma effundit, quo laudabiliter totam mensam linit.

Postea perungit parietes ecclesiæ sacro chrismate signans duodecim vel quattuor cruces apte distributas, duobus vel quattuor presbyteris pro opportunitate adiuvantibus.

Si vero unctiones parietum presbyteris commiserit, illi, ubi Episcopus altare ungere expleverit, parietes ecclesiæ ungunt, sacro chrismate cruces signantes.

Interea canitur antiphona (cf. App. n. 14):

Ecce tabernáculum Dei cum homínibus,
et habitábit cum eis;
et ipsi pópulus eius erunt,
et ipse Deus cum eis erit eórum Deus (T. P. Allelúia)

vel antiphona (cf. App. n. 15):

Templum Dómini sanctum est,
Dei structúra est,
Dei ædificátio est

cum Psalmo 83, vel alius aptus cantus.

Psalmus 83

2 Quam dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum, *
3 concupíscit et déficit ánima mea in átria Dómini.
Cor meum et caro mea *
exsultavérunt in Deum vivum.
4 Etenim passer invénit sibi domum, †
et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos: *
altária tua, Dómine virtútum,
rex meus et Deus meus.

(Repetitur antiphona)

5 Beáti qui hábitant in domo tua, *
in perpétuum laudábunt te.
6 Beátus vir cuius est auxílium abs te, *
ascensiónes in corde suo dispósuit.

(Repetitur antiphona)

7 Transeúntes per vallem sitiéntem
in fontem ponent eam, *
étenim benedictiónibus véstiet eam
plúvia matutína.
8 Ibunt de virtúte in virtútem, *
vidébitur Deus deórum in Sion.

(Repetitur antiphona)

9 Dómine Deus virtútum, exáudi oratiónem meam; *
áuribus pércipe, Deus Iacob.
10 Protéctor noster, áspice, Deus, *
et réspice in fáciem Christi tui.

(Repetitur antiphona)

11 Quia mélior est dies una in átriis tuis super mília, †
elégi ad limen esse in domo Dei mei, *
magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum.

(Repetitur antiphona)

12 Quia sol et scutum est Dóminus Deus, †
grátiam et glóriam dabit Dóminus; *
non privábit bonis eos qui ámbulant in innocéntia.
13 Dómine virtútum, *
beátus homo qui sperat in te.

(Repetitur antiphona)

65. Altaris et parietum ecclesiæ unctione peracta, Episcopus revertitur ad cathedram et sedet; ministri ad eum afferunt necessaria ut manus lavet. Deinde Episcopus deponit gremiale et assumit planetam. Presbyteri quoque post parietum unctionem manus lavant.

Incensatio altaris et ecclesiæ

66. Post ritum unctionis, super altare ponitur foculus ad incensa vel aromata comburenda aut, si placet, fit super altare acervus incensi candelis mixti. Episcopus immittit incensum in foculum aut parvo cereo a ministro tradito acervum incensi succendit, dicens:

Dirigátur, Dómine, orátio nostra
sicut incénsum in conspéctu tuo;
et sicut hæc domus suávi replétur odóre,
ita Ecclésia tua redóleat Christi fragrántiam.

67. Tunc Episcopus in aliqua turibula incensum immittit et incensat altare. Deinde revertitur ad cathedram, incensatur et sedet. Ministri autem, per aulam ecclesiæ transeuntes, populum et parietes incensant.

68. Interea canitur antiphona (cf. App. n. 16 vel n. 17):

Stetit ángelus iuxta aram templi,
habens turíbulum áureum in manu sua

vel antiphona (cf. App. n. 18):

Ascéndit fumus arómatum
in conspéctu Dómini de manu ángeli

cum Psalmo 137, vel alius aptus cantus.

Psalmus 137

1 Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo, *
quóniam audísti verba oris mei.
In conspéctu angelórum psallam tibi, *
2 adorábo ad templum sanctum tuum;
et confitébor nómini tuo †
propter misericórdiam tuam et veritátem tuam, *
quóniam magnificásti super omne nomen elóquium tuum.

(Repetitur antiphona)

3 In quacúmque die invocávero te, exáudi me; *
multiplicábis in ánima mea virtútem.
4 Confitebúntur tibi, Dómine, omnes reges terræ, *
quia audiérunt elóquia oris tui.

5 Et cantábunt vias Dómini, *
quóniam magna est glória Dómini;
6 quóniam excélsus Dóminus, †
et húmilem réspicit, *
et supérbum a longe cognóscit.

(Repetitur antiphona)

Illuminatio altaris et ecclesiæ

69. Incensatione peracta, nonnulli ministri mensam altaris mantilibus extergunt eamque, si casus fert, sternunt linteo impermeabili; deinde cooperiunt altare tobalea ac, pro opportunitate, floribus exornant; candelabra cum cereis, qui pro Missæ celebratione requiruntur et, si casus fert, crucem apte disponunt.

70. Postea diaconus accedit ad Episcopum qui, stans, ei tradit parvum cereum accensum, elata voce dicens:

Lumen Christi in Ecclésia refúlgeat,
ut omnes gentes plenitúdinem veritátis attíngant.

Deinde Episcopus sedet. Diaconus accedit ad altare et cereos pro Eucharistiæ celebratione accendit.

71. Tunc festiva fit illuminatio: omnes cerei, candelæ positæ ubi unctiones factæ sunt, ceteræque lampades ecclesiæ in signum gaudii accenduntur. Interea canitur antiphona (cf. App. n. 19):

Venit lumen tuum, Ierúsalem,
et glória Dómini super te orta est,
et ambulábunt gentes in lúmine tuo, allelúia

aut, tempore Quadragesimæ, antiphona (cf. App. n. 20):

Ierúsalem, cívitas Dei, luce spléndida fulgébis,
et omnes fines terræ adorábunt te

cum cantico Tobiæ, vel alius aptus cantus, in honorem præsertim Christi, mundi luminis.

Canticum Tobiæ

(Vulg. 13, 10. 13-14ab. 14c-15. 17)

Benedícite Dóminum, omnes elécti eius, *
ágite dies lætítiæ et confitémini illi.

(Repetitur antiphona)

Ierúsalem, cívitas Dei, luce spléndida fulgébis, *
et omnes fines terræ adorábunt te.
Natiónes ex longínquo ad te vénient, *
et múnera deferéntes adorábunt in te Dóminum.

(Repetitur antiphona)

Et terram tuam in sanctificatiónem habébunt, *
nomen enim magnum invocábunt in te.
Tu autem lætáberis in fíliis tuis, †
quóniam omnes benedicéntur *
et congregabúntur ad Dóminum.

(Repetitur antiphona)

Pars Quarta

Liturgia eucharistica

72. Diaconi et ministri altare præparant more solito. Deinde nonnulli fideles afferunt panem, vinum, aquam ad sacrificium dominicum celebrandum. Episcopus accipit dona ad cathedram. Dum dona afferuntur, opportune canitur antiphona (cf. App. n. 21):

Dómine Deus, in simplicitáte cordis mei
lætus óbtuli univérsa;
et pópulum tuum, qui repértus est,
vidi cum ingénti gáudio;
Deus Israel, custódi hanc voluntátem, Dómine Deus (T. P. Allelúia)

vel alius aptus cantus.

73. Cum omnia parata sunt, Episcopus ad altare accedit et, deposita mitra, illud osculatur. Missa prosequitur more solito; non incensantur tamen nec oblata nec altare.

74. Super oblata:

Accépta tibi sint, Dómine, múnera lætántis Ecclésiæ,
ut pópulus tuus, in hanc domum sanctam convéniens,
per hæc mystéria salútem perpétuam consequátur.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

75. Dicitur Prex eucharistica I vel III cum hac Præfatione (cf. App. n. 22), quæ ritui dedicationis ecclesiæ inhæret:

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi, sancte Pater, semper et ubíque grátias ágere.

Qui templum glóriæ tuæ univérsum mundum fecísti
ut nomen tuum ubíque clarificarétur,
sed et loca divínis apta mystériis non rénuis tibi sacrári:
hanc ergo oratiónis domum, humáno exstrúctam labóre,
maiestáti tuæ exsultántes dicámus.

Hic veri Templi adumbrátur mystérium
et cæléstis Ierúsalem prænotátur imágo:
Corpus enim Fílii tui, ex alma Vírgine natum,
templum effecísti tibi sacrátum,
in quo inhabitáret plenitúdo divinitátis.

Ecclésiam autem sanctam constituísti civitátem,
super fundaméntum Apostolórum ædificátam,
summo angulári lápide ipso Christo Iesu;
sed eléctis construéndam lapídibus,
Spíritu vivificátis, coagmentátis caritáte,
ubi tu per infiníta sǽcula ómnia ómnibus eris
et Christi lumen fulgébit perénne.

Per quem nos, Dómine, cum Angelis et Sanctis univérsis
tibi confitémur, in exsultatióne dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth ...

76. In Prece eucharistica I dicitur Hanc ígitur proprium:

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ,
sed et famulórum tuórum qui hanc ecclésiam (in honórem N.)
fidéli tibi obtulérunt ánimo
vel indefésso ædificárunt labóre,
quǽsumus, Dómine, ut placátus accípias.
(Per Christum Dóminum nostrum. Amen).

77. In intercessionibus Precis eucharisticæ III, post verba pópulo acquisitiónis tuæ, dicitur:

Votis huius famíliæ,
quæ hanc tibi dicat ecclésiam,
adésto propítius:
sit ei domus salútis et aula cæléstium sacramentórum;
hic résonet evangélium pacis
et sacra mystéria celebréntur,
quibus fidéles tui, verbo vitæ ac divína grátia instrúcti,
per temporálem civitátem peregrinántes
ad ætérnam Ierúsalem perveníre mereántur,
in qua omnes fílios tuos, ubíque dispérsos,
tibi, clemens Pater, miserátus coniúngas.
Fratres nostros defúnctos ...

78. Dum Episcopus Corpus Christi sumit, inchoatur cantus ad communionem. Canitur antiphona (cf. App. n. 23):

Domus mea, domus oratiónis vocábitur, dicit Dóminus:
in ea omnis qui petit áccipit,
et qui quærit ínvenit, et pulsánti aperiétur (T. P. Allelúia)

vel antiphona (cf. App. n. 24):

Sicut novéllæ olivárum,
Ecclésiæ fílii sint in circúitu mensæ Dómini (T. P. Allelúia)

cum Psalmo 127, vel alius aptus cantus.

Psalmus 127

1 Beátus omnis qui timet Dóminum, *
qui ámbulat in viis eius.

(Repetitur antiphona)

2 Labóres mánuum tuárum manducábis, *
beátus es, et bene tibi erit.
3 Uxor tua sicut vitis fructífera *
in latéribus domus tuæ;
fílii tui sicut novéllæ olivárum *
in circúitu mensæ tuæ.

(Repetitur antiphona)

4 Ecce sic benedicétur homo, *
qui timet Dóminum.
5 Benedícat tibi Dóminus ex Sion, *
et vídeas bona Ierúsalem ómnibus diébus vitæ tuæ;
6 et vídeas fílios filiórum tuórum. *
Pax super Israel.

(Repetitur antiphona)

Si sacellum Ss.mi Sacramenti non est inaugurandum, Missa prosequitur ut infra n. 83.

Inauguratio sacelli Ss.mi Sacramenti

79. Inauguratio sacelli ubi Ss.ma Eucharistia servabitur, hoc modo convenienter fit: post communionem pyxis cum Ss.mo Sacramento super mensam altaris relinquitur. Episcopus cathedram petit, et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Deinde Episcopus dicit orationem post communionem:

Orémus.

Multíplica, Dómine, quǽsumus,
per hæc sancta quæ súmpsimus,
veritátem tuam in méntibus nostris,
ut te in templo sancto tuo iúgiter adorémus,
et in conspéctu tuo cum ómnibus Sanctis gloriémur.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

80. Qua oratione dicta, Episcopus ad altare revertitur et genuflexus incensat Ss.mum Sacramentum; postea, assumpto velo humerali, accipit pyxidem manibus eodem velo coopertis. Tum instruitur processio qua, præcedente crucifero, defertur Ss.mum Sacramentum cum intorticiis et incenso per aulam ecclesiæ ad sacellum repositionis. Incedente processione, cantatur antiphona (cf. App. n. 25):

Lauda, Ierúsalem, Dóminum

cum Psalmo 147, vel alius aptus cantus.

Psalmus 147

12 Lauda, Ierúsalem, Dóminum; *
colláuda Deum tuum, Sion.

(Repetitur antiphona)

13 Quóniam confortávit seras portárum tuárum, *
benedíxit fíliis tuis in te.

14 Qui ponit fines tuos pacem, *
et ádipe fruménti sátiat te.
15 Qui emíttit elóquium suum terræ, *
velóciter currit verbum eius.

(Repetitur antiphona)

16 Qui dat nivem sicut lanam, *
pruínam sicut cínerem spargit.
17 Mittit crystállum suam sicut buccéllas; *
ante fáciem frígoris eius quis sustinébit?
18 Emíttet verbum suum et liquefáciet ea, *
flabit spíritus eius, et fluent aquæ.

(Repetitur antiphona)

19 Qui annúntiat verbum suum Iacob, *
iustítias et iudícia sua Israel.
20 Non fecit táliter omni natióni, *
et iudícia sua non manifestávit eis.

(Repetitur antiphona)

81. Cum processio ad sacellum repositionis pervenit, Episcopus deponit pyxidem super altare aut in tabernaculo, cuius porta aperta manet et, ture imposito, genuflexus Ss.mum Sacramentum incensat. Denique, post congruum temporis spatium quo omnes silentio orant, diaconus pyxidem in tabernaculo recondit vel ipsius portam claudit; minister autem lampadem accendit, quæ ad Ss.mum Sacramentum perpetuo ardebit.

82. Si sacellum ubi Ss.mum Sacramentum est repositum a fidelibus bene conspici potest, Episcopus statim Missæ benedictionem impertit (cf. infra n. 84). Sin autem, processio ad presbyterium breviore via revertitur et Episcopus benedictionem impertit sive ex altari sive e cathedra.

---

83. Si sacellum Ss.mi Sacramenti non est inaugurandum, communione fidelium expleta, Episcopus dicit:

Orémus.

Multíplica, Dómine, quǽsumus,
per hæc sancta quæ súmpsimus,
veritátem tuam in méntibus nostris,
ut te in templo sancto tuo iúgiter adorémus,
et in conspéctu tuo cum ómnibus Sanctis gloriémur.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Benedictio et dimissio

84. Episcopus, accepta mitra, dicit:

Dóminus vobíscum.

Populus respondet:

Et cum spíritu tuo.

Deinde diaconus, pro opportunitate, populum ad benedictionem accipiendam invitat his vel similibus verbis:

Inclináte vos ad benedictiónem.

Tum Episcopus, manibus super populum extensis, eum benedicit, dicens:

Deus, Dóminus cæli et terræ,
qui vos hódie ad huius domus dedicatiónem adunávit,
ipse vos cælésti benedictióne fáciat abundáre.

Omnes:

Amen.

Episcopus:

Concedátque vos fíeri templum suum
et habitáculum Spíritus Sancti,
qui omnes fílios dispérsos vóluit in Fílio suo congregári.

Omnes:

Amen.

Episcopus:

Quátenus felíciter emundáti,
habitatórem Deum in vobismetípsis possítis habére,
et ætérnæ beatitúdinis hereditátem
cum ómnibus Sanctis possidére.

Omnes:

Amen.

Episcopus accipit baculum et prosequitur:

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

Omnes:

Amen.

85. Denique diaconus populum dimittit more consueto.

CAPUT III

ORDO DEDICATIONIS ECCLESIÆ IN QUA IAM DE MORE SACRA CELEBRANTUR

PRÆNOTANDA

1. Ad symbolorum vim et ritus sensum plene attingendum, novæ ecclesiæ inauguratio una cum eius dedicatione fiat oportet: quare, ut supra dictum est, quantum fieri potest caveatur ne in nova ecclesia Missa celebretur antequam ipsa dedicetur (cf. cap. II, nn. 8, 15, 17).

Cum tamen dedicantur ecclesiæ in quibus iam de more sacra mysteria celebrantur, Ordo qui hoc capite proponitur est adhibendus.

Præterea in huiusmodi ecclesiis non sine causa distinguuntur quæ nuper sunt exstructæ, quarum dedicationis ratio clarior patet, ab illis quæ iamdiu sunt ædificatæ; ad has dedicandas requiritur:

— ut altare nondum sit dedicatum, nam consuetudine et iure liturgico recte prohibetur ne dedicatio ecclesiæ peragatur nisi altare dedicetur; dedicatio enim altaris pars est præcipua totius ritus;

— ut aliquid novum aut valde immutatum sit in æde, quod ad ædificium attinet (ex. gr. ecclesia sit funditus instaurata) aut ad eius statum iuridicum (ex. gr. ecclesia ad gradum parœciæ sit evecta).

2. Omnia quæ in Prænotandis capitis II indicantur ad hunc Ordinem quoque referuntur, nisi a rerum condicione, quam hic Ordo respicit, aliena manifesto appareant, vel aliter notetur.

Hic Ordo ab Ordine qui capite II describitur his rebus præcipue differt:

a) ritus aperiendi fores ecclesiæ (cf. cap. II, n. 34 vel n. 41) omittitur, cum ecclesia iam fidelibus pateat; proinde introitus fit ad instar « introitus simplicis » (cf. cap. II, nn. 43-47). Si vero agatur de dedicanda ecclesia quæ diu clausa fuerit et nunc denuo sacris aperiatur celebrationibus, ritus peragi potest, cum hoc in casu vim suam ac sensum servet;

b) ritus tradendi ecclesiam Episcopo (cf. cap. II, n. 33 vel 40 vel 47), pro rerum adiunctis, aut servandus aut omittendus aut ita aptan-

dus est ut ecclesiæ dedicandæ condicionem respiciat (ex. gr. conveNienter servabitur in dedicatione ecclesiæ nuper ædificatæ; omittetur in dedicatione veteris ecclesiæ ubi in ædificii structura nihil sit immutatum; aptabitur in dedicatione veteris ecclesiæ funditus refectæ);

c) ritus aspergendi aqua benedicta parietes ecclesiæ (cf. cap. II, nn. 48-50), cui lustralis indoles inest, omittitur;

d) quæ sunt peculiaria primæ verbi Dei proclamationis (cf. cap. II, n. 53) omittuntur, ideoque liturgia verbi fit more consueto; loco Nehemiæ 8, 1-4a. 5-6. 8-10 cum Psalmo 18 B, 8-9. 10. 15 et suo responsorio (cf. cap. II, n. 54 a), alia apta lectio seligitur.

ORDO DEDICATIONIS

PARS PRIMA

RITUS INITIALES

Ingressus

3. Populo congregato, Episcopus et presbyteri concelebrantes, diaconi et ministri, sua quisque veste induti, crucifero præcedente, e secretario per aulam ecclesiæ ad presbyterium pergunt.

4. Reliquiæ Sanctorum, si sub altari deponendæ sunt, in ipsa processione introitus ad presbyterium afferuntur sive e secretario sive ex sacello, ubi iam inde a vigilia ad venerationem fidelium sunt expositæ. Iusta tamen de causa parari possunt ante ritus initium, apto presbyterii loco, facibus circum ardentibus.

5. Incedente processione, canitur antiphona ad introitum (cf. App. n. 7):

Deus in loco sancto suo,
Deus, qui inhabitáre facit unánimes in domo:
ipse dabit virtútem et fortitúdinem plebi suæ

vel antiphona (cf. App. n. 5):

In domum Dómini lætántes íbimus

cum Psalmo 121, vel alius aptus cantus.

Psalmus 121

1 Lætátus sum in eo quod dixérunt mihi: *
« In domum Dómini íbimus ».
2 Stantes iam sunt pedes nostri *
in portis tuis, Ierúsalem.

(Repetitur antiphona)

3 Ierúsalem, quæ ædificáta est ut cívitas *
sibi compácta in idípsum.

4 Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini, *
testimónium Israel,
ad confiténdum nómini Dómini.
5 Quia illic sedérunt sedes ad iudícium, *
sedes domus David.

(Repetitur antiphona)

6 Rogáte quæ ad pacem sunt Ierúsalem, *
secúri sint diligéntes te.
7 Fiat pax in muris tuis, *
et secúritas in túrribus tuis.

(Repetitur antiphona)

8 Propter fratres meos et próximos meos *
loquar: « Pax in te! ».
9 Propter domum Dómini Dei nostri *
exquíram bona tibi.

(Repetitur antiphona)

6. Cum processio ad presbyterium pervenerit, reliquiæ Sanctorum, apto loco deponuntur, facibus circum ardentibus; presbyteri concelebrantes, diaconi, ministri locis sibi assignatis disponuntur; Episcopus autem, omisso altaris osculo, ad cathedram pergit. Deinde, depositis baculo et mitra, populum salutat, dicens:

Grátia et pax
sit ómnibus vobis
in Ecclésia sancta Dei

vel alia apta verba e sacra Scriptura præsertim deprompta. Populus respondet:

Et cum spíritu tuo

vel alia apta verba.

7. Tunc si, pro rerum adiunctis (cf. Prænotanda, n. 2b), ecclesia Episcopo est tradenda, legati eorum qui ecclesiæ ædificandæ operam dederunt (parœciæ aut diœceseos fideles, largitores, architecti, opi-

fices) Episcopo eam tradunt, ei offerentes vel instrumenta iuridica possessionis ædificii vel claves vel formam ædis vel librum in quo « iter » operis descriptum est et nomina eorum qui ei præfuerunt necnon opificum indicata sunt. Unus e legatis Episcopum et communitatem breviter alloquitur, illustrans, si casus fert, quid ecclesia arte et peculiari forma exprimat.

Benedictio aquæ, aspersio

8. Ritu introitus expleto, Episcopus aquam benedicit ad aspergendum populum in signum pænitentiæ et in memoriam baptismi. Ministri ad Episcopum stantem ad cathedram ferunt vas cum aqua. Episcopus omnes ad orandum invitat his vel similibus verbis:

Hanc domum, fratres caríssimi,
sollémni ritu dicántes,
Dóminum Deum nostrum súpplices exorémus
ut benedícere dignétur hanc creatúram aquæ,
qua nos aspergémur
in pæniténtiæ signum ac baptísmi memóriam.
Ipse autem Dóminus nos sua ádiuvet grátia
ut dóciles Spirítui, quem accépimus,
in Ecclésia sua maneámus fidéles.

Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc Episcopus prosequitur:

Deus, per quem omnis creatúra ad vitæ prodit lumen,
tanta hómines proséqueris dilectióne
ut eos non solum patérna alas cura,
sed caritátis rore a peccátis cleménter emúndes
et ad Christum Caput constánter redúcas:
misericórdi enim consílio statuísti
ut qui in sacram descendíssent undam peccatóres,
Christo commórtui, insóntes resúrgerent
eiúsque membra fíerent
atque ætérni prǽmii coherédes.

Hanc ergo creatúram aquæ tua benedictióne ✠ sanctífica,
ut, in nos aspérsa,
signum exsístat illíus salutáris lavácri,
quo, in Christo ablúti, templum Spíritus tui sumus effécti;
nos autem cum ómnibus frátribus,
qui in hac ecclésia divína celebrábunt mystéria,
ad cæléstem Ierúsalem perveníre concédas.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

9. Episcopus, diaconis comitantibus, populum aqua benedicta aspergit. Deinde, si altare est omnino novum, illud quoque aspergit. Interea cantatur antiphona (cf. App. n. 8):

Vidi aquam egrediéntem de templo,
a látere dextro, allelúia;
et omnes, ad quos pervénit aqua ista,
salvi facti sunt, et dicent:
Allelúia, allelúia

aut, tempore Quadragesimæ, antiphona (cf. App. n. 9):

Dum sanctificátus fúero in vobis,
congregábo vos de univérsis terris,
et effúndam super vos aquam mundam,
et mundabímini ab ómnibus inquinaméntis vestris;
et dabo vobis spíritum novum

vel alius aptus cantus.

10. Post aspersionem, Episcopus ad cathedram revertitur et, cantu expleto, stans, manibus iunctis, dicit:

Deus, misericordiárum Pater,
Spíritus Sancti grátia

templum purificet habitatiónis suæ,
quod nos sumus.

Omnes:

Amen.

Hymnus et collecta

11. Deinde dicitur hymnus Glória in excélsis Deo.

12. Quo hymno finito, Episcopus, manibus iunctis, dicit:

Orémus.

Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc Episcopus, manibus extensis, dicit:

Omnípotens sempitérne Deus,
effúnde super hunc locum grátiam tuam,
et ómnibus te invocántibus auxílii tui munus impénde,
ut hic verbi tui et sacramentórum virtus
ómnium fidélium corda confírmet.
Per Dóminum.

Omnes:

Amen.

PARS SECUNDA

LITURGIA VERBI

13. Postea Episcopus sedet et accipit mitram; item omnes sedent. Tum fit liturgia verbi; lectiones sumuntur e textibus qui in Lectionario (III, 233-257) pro ritu dedicationis ecclesiæ proponuntur.

14. Ad Evangelium non portantur luminaria nec incensum.

15. Post Evangelium Episcopus homiliam habet in qua illustrat cum lectiones biblicas tum sensum ritus.

16. Expleta homilia dicitur symbolum. Oratio autem universalis omittitur cum eius loco Litaniæ Sanctorum canantur.

Pars Tertia

Prex dedicationis et unctiones

Supplicatio litanica

17. Deinde Episcopus populum ad orandum invitat his vel similibus verbis:

Orémus, dilectíssimi nobis,
Deum Patrem omnipoténtem,
qui fidélium corda spiritália sibi éfficit templa,
nostris autem vócibus
fratérna sociétur Sanctórum supplicátio.

18. Tunc canuntur Litaniæ Sanctorum, omnibus respondentibus; quod, diebus dominicis necnon tempore paschali, fit omnibus stantibus; ceteris autem diebus, flexis genibus; quo in casu diaconus admonet:

Flectámus génua.

19. In Litaniis, apto loco, adduntur invocationes Titularis ecclesiæ, Patroni loci et, si casus fert, Sanctorum quorum reliquiæ deponendæ sunt. Addi quoque possunt aliæ petitiones, quæ peculiarem ritus naturam et fidelium condicionem respiciant. Sanctorum cognomina, inter parentheses posita, opportune omittuntur, quando Litaniæ cantantur (cf. App. n. 10).

Kýrie, eléison.
Kýrie, eléison.
Christe, eléison.
Christe, eléison.
Kýrie, eléison.
Kýrie, eléison.

Sancta María, Mater Dei, ora pro nobis
Sancte Míchael, ora pro nobis
Sancti Angeli Dei, oráte pro nobis
Sancte Ioánnes Baptísta, ora pro nobis

Sancte Ioseph,	ora pro nobis
Sancti Petre et Paule,	oráte pro nobis
Sancte Andréa,	ora pro nobis
Sancte Ioánnes,	ora pro nobis
Sancta María Magdaléna,	ora pro nobis
Sancte Stéphane,	ora pro nobis
Sancte Ignáti Antiochéne,	ora pro nobis
Sancte Lauténti,	ora pro nobis
Sanctæ Perpétua et Felícitas,	oráte pro nobis
Sancta Agnes,	ora pro nobis
Sancte Gregóri,	ora pro nobis
Sancte Augustíne,	ora pro nobis
Sancte Athanási,	ora pro nobis
Sancte Basíli,	ora pro nobis
Sancte Martíne,	ora pro nobis
Sancte Benedícte,	ora pro nobis
Sancti Francísce et Domínice,	oráte pro nobis
Sancte Francísce (Xavier),	ora pro nobis
Sancte Ioánnes María (Vianney),	ora pro nobis
Sancta Cathárina Senénsis,	ora pro nobis
Sancta Terésia (de Avila),	ora pro nobis
Omnes Sancti et Sanctæ Dei,	oráte pro nobis

Propítius esto,	líbera nos, Dómine
Ab omni malo,	líbera nos, Dómine
Ab omni peccáto,	líbera nos, Dómine
A morte perpétua,	líbera nos, Dómine
Per incarnatiónem tuam,	líbera nos, Dómine
Per mortem et resurrectiónem tuam,	líbera nos, Dómine
Per effusiónem Spíritus Sancti,	líbera nos, Dómine

Peccatóres,	te rogámus, audi nos
Ut Ecclésiam tuam sanctam régere et conserváre dignéris,	te rogámus, audi nos

Ut domnum apostólicum et omnes ecclesiásticos órdines in sancta religióne conserváre dignéris, te rogámus, audi nos

Ut cunctis pópulis pacem et veram concórdiam donáre dignéris, te rogámus, audi nos

Ut nosmetípsos in tuo sancto servítio confortáre et conserváre dignéris, te rogámus, audi nos

Ut hanc ecclésiam consecráre dignéris, te rogámus, audi nos

Iesu, Fili Dei vivi, te rogámus, audi nos

Christe, audi nos.
Christe, audi nos.
Christe, exáudi nos.
Christe, exáudi nos.

20. Litaniarum cantu expleto, Episcopus stans, extensis manibus, dicit:

Supplicatiónes nostras, quǽsumus, Dómine,
intercessióne beátæ Maríæ Vírginis
et ómnium Sanctórum, propitiátus admítte,
ut hæc ædes tuo nómini dicánda
domus fiat salútis et grátiæ,
ubi christianórum plebs, in unum convéniens,
te adóret in spíritu et veritáte
et se ædíficet in caritáte.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Diaconus, si casus fert, admonet:

Leváte.

Et omnes surgunt. Episcopus mitram resumit.

Ubi vero reliquiæ Sanctorum non deponuntur, Episcopus statim dicit Precem dedicationis, ut infra n. 22 indicatur.

Depositio reliquiarum

21. Deinde, si Martyrum vel aliorum Sanctorum reliquiæ sub altari deponendæ sunt, Episcopus ad altare accedit. Diaconus vel presbyter reliquias Episcopo affert, qui sepulcro opportune parato eas condit. Interea canitur antiphona (cf. App. n. 11):

Sub altáre Dei sedes accepístis, Sancti Dei:
intercédite pro nobis ad Dóminum Iesum Christum

vel antiphona (cf. App. n. 12):

Córpora Sanctórum in pace sepúlta sunt,
et vivent nómina eórum in ætérnum (T. P. Allelúia)

cum Psalmo 14, vel alius aptus cantus.

Psalmus 14

1 Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo? *
Quis requiéscet in monte sancto tuo?

(Repetitur antiphona)

2 Qui ingréditur sine mácula et operátur iustítiam; *
qui lóquitur veritátem in corde suo,
3 qui non egit dolum in lingua sua, †
nec fecit próximo suo malum, *
et oppróbrium non íntulit próximo suo.

(Repetitur antiphona)

4 Ad níhilum reputátus est in conspéctu eius malígnus, *
timéntes autem Dóminum gloríficat.
Qui iurat in detriméntum suum et non mutat, †
5 qui pecúniam suam non dedit ad usúram, *
et múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit hæc, *
non movébitur in ætérnum.

(Repetitur antiphona)

Interea faber cæmentarius sepulcrum claudit, Episcopus autem ad cathedram revertitur.

Prex dedicationis

22. Quibus peractis, Episcopus, stans sine mitra ad cathedram vel apud altare, manibus extensis, elata voce dicit (cf. App. n. 13):

Deus, Ecclésiæ tuæ sanctificátor et rector,
nomen tuum nos decet festívo celebráre præcónio,
quia hódie fidélium plebs hanc oratiónis domum,
ubi te pie venerátur, verbo erudítur, álitur sacraméntis,
sollémni ritu cupit in perpétuum tibi dicáre.

Hæc ædes mystérium adúmbrat Ecclésiæ,
quam Christus suo sanctificávit cruóre
ut Sponsam sibi exhibéret gloriósam,
Vírginem fídei integritáte conspícuam,
Matrem Spíritus virtúte fecúndam.

Ecclésia sancta, elécta vínea Dómini,
cuius palmítibus mundus omnis implétur,
quæ propágines suas, ligno baiulánte,
suspénsas érigit ad regna cælórum.

Ecclésia felix, tabernáculum Dei cum homínibus,
templum sanctum, quod lapídibus vivis exstrúitur,
Apostolórum fundaméntis consístens,
Christo Iesu summo lápide angulári.

Ecclésia sublímis, Cívitas iugo montis erécta,
perspícua cunctis, et ómnibus clara,
ubi Agni lucérna fulget perénnis
et gratum résonat cánticum beatórum.

Súpplices ergo te, Dómine, adprecámur:
dignáre hanc ecclésiam et hoc altáre
cæléstis sanctificatióne perfúndere,
ut locus sanctus semper exsístat
et mensa fiat in perpétuum Christi sacrifício paráta.

Hic unda divínæ grátiæ hóminum óbruat delícta,
ut fílii tui, Pater, peccáto mórtui
vitæ renascántur supérnæ.

Hic fidéles tui, altáris mensam circumstántes,
memoriále Páschatis célebrent
et verbi Christi eiúsque córporis reficiántur convívio.

Hic laudis oblátio iucúnda resúltet,
Angelórum concéntibus vox hóminum sociáta,
ac pro mundi salúte iugis ad te ascéndat orátio.

Hic páuperes misericórdiam invéniant,
oppréssi veram consequántur libertátem
cunctíque hómines filiórum tuórum índuant dignitátem,
donec ad illam, quæ sursum est, Ierúsalem,
exsultántes pervéniant.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum, Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sǽcula sæculórum.

Omnes:

Amen.

Unctio altaris et parietum ecclesiæ

23. Deinde Episcopus, deposita, si necesse est, planeta et assumpto gremiali linteo, ad altare accedit cum diaconis et aliis ministris, ex quibus unus vas chrismatis fert, et ad unctionem altaris et parietum ecclesiæ procedit ut infra n. 24 describitur.

Si vero Episcopus in ungendis parietibus ecclesiæ aliquos presbyteros, qui cum ipso sacrum ritum concelebrant, sibi sociare voluerit,

unctione altaris peracta, illis vasa sacri chrismatis tradit et cum ipsis ad unctiones peragendas procedit.

Munus tamen ungendi parietes Episcopus solis presbyteris committere potest: quo in casu, post unctionem altaris, ipsis vasa sacri chrismatis tradit.

24. Episcopus, stans ante altare, elata voce dicit:

Altáre ac domum,
quæ nostro línimus ministério,
Dóminus sua virtúte sanctíficet,
ut Christi et Ecclésiæ mystérium
visíbili éxprimant signo.

Deinde in medium altare eiusque quattuor angulos sacrum chrisma effundit, quo laudabiliter totam mensam linit.

Postea perungit parietes ecclesiæ sacro chrismate signans duodecim vel quattuor cruces apte distributas, duobus vel quattuor presbyteris pro opportunitate adiuvantibus.

Si vero unctiones parietum presbyteris commiserit, illi, ubi Episcopus altare ungere expleverit, parietes ecclesiæ ungunt sacro chrismate cruces signantes.

Interea canitur antiphona (cf. App. n. 14):

Ecce tabernáculum Dei cum homínibus,
et habitábit cum eis;
et ipsi pópulus eius erunt,
et ipse Deus cum eis erit eórum Deus (T. P. Allelúia)

vel antiphona (cf. App. n. 15):

Templum Dómini sanctum est,
Dei structúra est,
Dei ædificátio est

cum Psalmo 83, vel alius aptus cantus.

Psalmus 83

2 Quam dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum, *
3 concupíscit et déficit ánima mea in átria Dómini.
Cor meum et caro mea *
exsultavérunt in Deum vivum.
4 Etenim passer invénit sibi domum, †
et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos: *
altária tua, Dómine virtútum,
rex meus et Deus meus.

(Repetitur antiphona)

5 Beáti qui hábitant in domo tua, *
in perpétuum laudábunt te.
6 Beátus vir cuius est auxílium abs te, *
ascensiónes in corde suo dispósuit.

(Repetitur antiphona)

7 Transeúntes per vallem sitiéntem
in fontem ponent eam, *
étenim benedictiónibus véstiet eam
plúvia matutína.
8 Ibunt de virtúte in virtútem, *
vidébitur Deus deórum in Sion.

(Repetitur antiphona)

9 Dómine Deus virtútum, exáudi oratiónem meam; *
áuribus pércipe, Deus Iacob.
10 Protéctor noster, áspice, Deus, *
et réspice in fáciem Christi tui.

(Repetitur antiphona)

25. Altaris et parietum ecclesiæ unctione peracta, Episcopus revertitur ad cathedram et sedet; ministri ad eum afferunt necessaria ut manus lavet. Deinde Episcopus deponit gremiale et assumit planetam. Presbyteri quoque post parietum unctionem manus lavant.

Incensatio altaris et ecclesiæ

26. Post ritum unctionis, super altare ponitur foculus ad incensa vel aromata comburenda aut, si placet, fit super altare acervus incensi candelis mixti. Episcopus immittit incensum in foculum aut parvo cereo a ministro tradito acervum incensi succendit, dicens:

Dirigátur, Dómine, orátio nostra
sicut incénsum in conspéctu tuo;
et sicut hæc domus suávi replétur odóre,
ita Ecclésia tua redóleat Christi fragrántiam.

27. Tunc Episcopus in aliqua turibula incensum immittit et incensat altare. Deinde revertitur ad cathedram, incensatur et sedet. Ministri autem, per aulam ecclesiæ transeuntes, populum et parietes incensant.

28. Interea canitur antiphona (cf. App. n. 16 vel n. 17):

Stetit ángelus iuxta aram templi,
habens turíbulum áureum in manu sua

vel antiphona (cf. App. n. 18):

Ascéndit fumus arómatum
in conspéctu Dómini de manu ángeli

cum Psalmo 137, vel alius aptus cantus.

Psalmus 137

1 Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo, *
quóniam audísti verba oris mei.
In conspéctu angelórum psallam tibi, *
2 adorábo ad templum sanctum tuum;
et confitébor nómini tuo †
propter misericórdiam tuam et veritátem tuam, *
quóniam magnificásti super omne nomen elóquium tuum.

(Repetitur antiphona)

3 In quacúmque die invocávero te, exáudi me; *
multiplicábis in ánima mea virtútem.
4 Confitebúntur tibi, Dómine, omnes reges terræ, *
quia audiérunt elóquia oris tui.
5 Et cantábunt vias Dómini, *
quóniam magna est glória Dómini;
6 quóniam excélsus Dóminus, †
et húmilem réspicit, *
et supérbum a longe cognóscit.

(Repetitur antiphona)

Illuminatio altaris et ecclesiæ

29. Incensatione peracta, nonnulli ministri mensam altaris mantilibus extergunt eamque, si casus fert, sternunt linteo impermeabili; deinde cooperiunt altare tobalea ac, pro opportunitate, floribus exornant; candelabra cum cereis, qui pro Missæ celebratione requiruntur et, si casus fert, crucem apte disponunt.

30. Postea diaconus accedit ad Episcopum qui, stans, ei tradit parvum cereum accensum, elata voce dicens:

Lumen Christi in Ecclésia refúlgeat,
ut omnes gentes plenitúdinem veritátis attíngant.

Deinde Episcopus sedet. Diaconus accedit ad altare et cereos pro Eucharistiæ celebratione accendit.

31. Tunc festiva fit illuminatio: omnes cerei, candelæ positæ ubi unctiones factæ sunt, ceteræque lampades ecclesiæ in signum gaudii accenduntur. Interea canitur antiphona (cf. App. n. 19):

Venit lumen tuum, Ierúsalem,
et glória Dómini super te orta est,
et ambulábunt gentes in lúmine tuo, allelúia

aut, tempore Quadragesimæ, antiphona (cf. App. n. 20):

Ierúsalem, cívitas Dei, luce spléndida fulgébis,
et omnes fines terræ adorábunt te

cum cantico Tobiæ, vel alius aptus cantus, in honorem præsertim Christi, mundi luminis.

Canticum Tobiæ

(Vulg. 13, 10. 13-14ab. 14c-15. 17)

Benedícite Dóminum, omnes elécti eius, *
ágite dies lætítiæ et confitémini illi.
(Repetitur antiphona)

Ierúsalem, cívitas Dei, luce spléndida fulgébis, *
et omnes fines terræ adorábunt te.
Natiónes ex longínquo ad te vénient, *
et múnera deferéntes adorábunt in te Dóminum.
(Repetitur antiphona)

Et terram tuam in sanctificatiónem habébunt, *
nomen enim magnum invocábunt in te.
Tu autem lætáberis in fíliis tuis, †
quóniam omnes benedicéntur *
et congregabúntur ad Dóminum.
(Repetitur antiphona)

Pars Quarta

Liturgia eucharistica

32. Diaconi et ministri altare præparant more solito. Deinde nonnulli fideles afferunt panem, vinum, aquam ad sacrificium dominicum celebrandum. Episcopus accipit dona ad cathedram. Dum dona afferuntur, opportune canitur antiphona (cf. App. n. 21):

Dómine Deus, in simplicitáte cordis mei
lætus óbtuli univérsa;
et pópulum tuum, qui repértus est,

vidi cum ingénti gáudio;
Deus Israel, custódi hanc voluntátem, Dómine Deus (T. P. Allelúia)

vel alius aptus cantus.

33. Cum omnia parata sunt, Episcopus ad altare accedit et, deposita mitra, illud osculatur. Missa prosequitur more solito; non incensantur tamen nec oblata nec altare.

34. Super oblata:

Accépta tibi sint, Dómine, múnera lætántis Ecclésiæ,
ut pópulus tuus, in hanc domum sanctam convéniens,
per hæc mystéria salútem perpétuam consequátur.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

35. Dicitur Prex eucharistica I, vel III, cum hac Præfatione (cf. App. n. 26):

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
per Christum Dóminum nostrum.

Quia in domo visíbili quam nobis exstrúere concessísti,
ubi famíliæ in hoc loco ad te peregrinánti favére non désinis,
mystérium tuæ nobíscum communiónis
mire figúras et operáris:
hic enim tibi templum illud quod nos sumus ædíficas,

et Ecclésiam per orbem diffúsam
in domínici compágem córporis facis augéri,
in pacis visióne compléndam, cæléstì civitáte Ierúsalem.

Et ídeo, cum multitúdine órdinum beatórum,
in templo glóriæ tuæ, te collaudámus,
benedícimus et magnificámus, dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth ...

36. Dum Episcopus Corpus Christi sumit, inchoatur cantus ad communionem. Canitur antiphona (cf. App. n. 23):

Domus mea, domus oratiónis vocábitur, dicit Dóminus:
in ea omnis qui petit áccipit,
et qui quærit ínvenit, et pulsánti aperiétur (T. P. Allelúia)

vel antiphona (cf. App. n. 24):

Sicut novéllæ olivárum,
Ecclésiæ fílii sint in circúitu mensæ Dómini (T. P. Allelúia)

cum Psalmo 127, vel alius aptus cantus.

Psalmus 127

1 Beátus omnis qui timet Dóminum, *
qui ámbulat in viis eius.

(Repetitur antiphona)

2 Labóres mánuum tuárum manducábis, *
beátus es, et bene tibi erit.
3 Uxor tua sicut vitis fructífera *
in latéribus domus tuæ;
fílii tui sicut novéllæ olivárum *
in circúitu mensæ tuæ.

(Repetitur antiphona)

4 Ecce sic benedicétur homo, *
qui timet Dóminum.

5 Benedícat tibi Dóminus ex Sion, *
et vídeas bona Ierúsalem ómnibus diébus vitæ suæ;
6 et vídeas fílios filiórum tuórum. *
Pax super Israel.

(Repetitur antiphona)

Inauguratio sacelli Ss.mi Sacramenti

37. Si sacellum Ss.mi Sacramenti est inaugurandum, expleta fidelium communione, omnia fiunt ut cap. II, nn. 79-82 describitur.

---

38. Post communionem:

Orémus.

Multíplica, Dómine, quǽsumus,
per hæc sancta quæ súmpsimus,
veritátem tuam in méntibus nostris,
ut te in templo sancto tuo iúgiter adorémus,
et in conspéctu tuo cum ómnibus Sanctis gloriémur.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Benedictio et dimissio

39. Episcopus, accepta mitra, dicit:

Dóminus vobíscum.

Populus respondet:

Et cum spíritu tuo.

Deinde diaconus, pro opportunitate, populum ad benedictionem accipiendam invitat his vel similibus verbis:

Inclináte vos ad benedictiónem.

Tum Episcopus, manibus super populum extensis, eum benedicit, dicens:

Deus, Dóminus cæli et terræ,
qui vos hódie ad huius domus dedicatiónem adunávit,
ipse vos cælésti benedictióne fáciat abundáre.

Omnes:

Amen.

Episcopus:

Concedátque vos fíeri templum suum
et habitáculum Spíritus Sancti,
qui omnes fílios dispérsos vóluit in Fílio suo congregári.

Omnes:

Amen.

Episcopus:

Quátenus felíciter emundáti,
habitatórem Deum in vobismetípsis possítis habére,
et ætérnæ beatitúdinis hereditátem
cum ómnibus Sanctis possidére.

Omnes:

Amen.

Episcopus accipit baculum et prosequitur:

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

Omnes:

Amen.

40. Denique diaconus populum dimittit more consueto.

CAPUT IV

ORDO DEDICATIONIS ALTARIS

PRÆNOTANDA

I. DE ALTARIS NATURA ET DIGNITATE

1. Antiqui Ecclesiæ Patres, Dei verbum meditati, affirmare non dubitaverunt Christum victimam, sacerdotem, altare sui ipsius exstitisse sacrificii.[1]

In Epistula enim ad Hebræos, Christus exhibetur Pontifex magnus idemque Altare vivum Templi cælestis;[2] in Apocalypsi autem Redemptor noster tamquam Agnus occisus apparet,[3] cuius oblatio per manus sancti Angeli in sublime altare perfertur.[4]

CHRISTIANUS ET IPSE ALTARE SPIRITALE

2. Cum Christus, Caput et Magister, verum sit altare, membra quoque eius ac discipuli altaria sunt spiritalia, in quibus sacrificium vitæ sancte peractæ Deo offertur. Quod ipsi Patres significare videntur: S. Ignatius Antiochenus cum præclare Romanos rogat: « Nolite plus mihi præbere, quam ut immoler Deo, dum adhuc altare paratum est »,[5] vel S. Polycarpus cum viduas admonet ut sancte vivant, quæ « altare Dei sunt ».[6] Quibus vocibus cum aliorum tum S. Gregorii Magni vox respondet docentis: « Quid est altare Dei, nisi mens bene viventium? ... Recte igitur [iustorum] cor altare Dei dicitur ».[7]

Vel secundum aliam imaginem apud Ecclesiæ scriptores celebratam, christifideles qui orationibus vacant, obsecrationes offerunt Deo et supplicationum victimas immolant, ipsi sunt lapides vivi ex quibus Dominus Iesus Ecclesiæ altare ædificat.[8]

[1] Cf. S. EPIPHANIUS, *Panarium II, I, Hæresis* 55: PG 41, 979; S. CYRILLUS ALEXANDRINUS, *De adoratione in spiritu et veritate*, IX: PG 68, 647.
[2] Cf. Hebr 4, 14; 13, 10.
[3] Cf. Ap 5, 6.
[4] Cf. Missale Romanum, *Ordo Missæ*, n. 96.
[5] *Ad Romanos* 2, 2: ed. F. X. FUNK, p. 255.
[6] *Ad Philippenses* 4, 3: ed. F. X. FUNK, p. 301.
[7] *Homiliarum in Ezechielem* II, 10, 19: PL 76, 1069.
[8] Cf. ORIGENES, *In librum Iesu Nave*, Homilia IX, 1: SC 71, pp. 244 et 246.

ALTARE MENSA SACRIFICII ET CONVIVII PASCHALIS

3. Christus Dominus memoriale sacrificii, quod in ara crucis Patri erat oblaturus, sub specie sacrificalis convivii instituens, mensam, ad quam fideles convenirent ut Pascha suum celebrarent, sacram effecit. Altare itaque est mensa sacrificii et convivii, in qua sacerdos, Christum Dominum repræsentans, idem perficit quod ipse Dominus egit atque discipulis in sui memoriam faciendum tradidit, quæ omnia Apostolus præclare innuit, dicens: « Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus ».[9]

ALTARE CHRISTI SIGNUM

4. Ubique, pro rerum adiunctis, Ecclesiæ filii memoriale Christi celebrare et ad mensam dominicam consistere possunt. At consentaneum mysterio eucharistico est ut christifideles ad Cenam dominicam celebrandam altare erigant stabile: quod iam inde ab antiquis temporibus factum est.

Altare christianum sua ipsius natura est peculiaris mensa sacrificii et paschalis convivii:

— ara peculiaris, ubi sacrificium crucis in sæcula, donec Christus veniat, in mysterio perpetuatur;

— mensa ad quam Ecclesiæ filii congregantur, ut gratias Deo agant et Corpus et Sanguinem Christi sumant.

In omnibus igitur ecclesiis altare est « centrum gratiarum actionis, quæ per Eucharistiam perficitur » [10] circa quod ceteri Ecclesiæ ritus quodammodo ordinantur.[11]

Ex eo quod apud altare memoriale Domini celebratur eiusque Corpus et Sanguis fidelibus præbetur, factum est ut Ecclesiæ scriptores in altari veluti signum ipsius Christi cernerent — unde illud invaluit: « Altare Christus est ».

[9] Cf. 1 Cor 10, 16-17.
[10] Missale Romanum, *Institutio generalis*, n. 259.
[11] Cf. PIUS XII, Litt. Enc. *Mediator Dei et hominum: A.A.S.* 39 (1947) p. 529.

Altare honor Martyrum

5. Dignitas altaris tota in hoc posita est quod altare est mensa Domini. Non igitur Martyrum corpora altare honorant, sed potius altare Martyrum sepulcrum honestat. Ad honoranda enim Martyrum aliorumque Sanctorum corpora necnon ad significandum sacrificium membrorum de Capitis sacrificio sumpsisse principium,[12] decet super eorum sepulcris altaria ædificari aut sub altaribus condi eorum reliquias, ita ut « succedant victimæ triumphales in locum ubi Christus hostia est. Sed ille super altare, qui pro omnibus passus est. Isti sub altari, qui illius redempti sunt passione ».[13] Quæ rerum dispositio quodammodo repetere videtur illam spiritalem visionem Ioannis Apostoli in Apocalypsi: « Vidi subtus Altare animas interfectorum propter verbum Dei et propter testimonium quod habebant ».[14] Quamquam enim omnes Sancti recte appellantur testes Christi, tamen sanguinis testimonio peculiaris vis inest, quam Martyrum tantum reliquiæ sub altari depositæ totam atque integram exprimunt.

II. De altari erigendo

6. Expedit in omni ecclesia altare fixum inesse; ceteris vero locis sacris celebrationibus dicatis, altare fixum vel mobile.

Altare fixum dicitur, si ita exstruatur ut cum pavimento cohæreat ideoque amoveri nequeat; mobile vero si transferri possit.[15]

7. In novis ecclesiis præstat unum tantum altare erigi, ut in uno fidelium cœtu unicum altare unum Salvatorem nostrum Iesum Christum significet unamque Ecclesiæ Eucharistiam.

In sacello tamen, ab aula ecclesiæ si fieri potest quodammodo seiuncto, ubi tabernaculum ad Ss.mum Sacramentum asservandum est collocatum, alterum altare erigi poterit, ubi etiam Missa celebrari potest diebus ferialibus pro parvo fidelium cœtu.

Omnino vero vitandum est ne plura erigantur altaria ecclesiæ tantum exornandæ causa.

8. Altare exstruatur a pariete seiunctum, ut sacerdos facile id circumire et Missam versus populum celebrare possit. « Eum autem

[12] Cf. Missale Romanum, *Commune Martyrum* 8, Super oblata.

[13] S. Ambrosius, *Epistula* 22, 13: PL 16, 1023; cf. Ps. Maximus Taurinensis, *Sermo*, 78: PL 57, 689-690.

[14] Ap 6, 9.

[15] Cf. Missale Romanum, *Institutio generalis*, n. 265, 261.

occupet locum ut revera centrum sit ad quod totius congregationis fidelium attentio sponte convertatur ».[16]

9. Iuxta traditum Ecclesiæ morem et symbolum biblicum quod altari inest, mensa altaris fixi sit lapidea, et quidem ex lapide naturali. Attamen alia materia digna, solida et affabre effecta, de iudicio Conferentiarum Episcopalium, ad exstruendum altare adhiberi potest.

Stipites vero aut basis ad mensam sustentandam ex qualibet materia, dummodo sit digna et solida, confici possunt.[17]

10. Sua ipsius natura altare uni Deo dicatur, nam sacrificium eucharisticum uni Deo offertur. Hoc sensu intellegi debet consuetudo Ecclesiæ dicandi altaria Deo in honorem Sanctorum. Quod S. Augustinus apte exprimit: « nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrum, quamvis in memoriis martyrum, constituimus altaria ».[18]

Hoc clare fidelibus explicari debet. In novis ecclesiis simulacra vel imagines Sanctorum supra altare ne collocentur.

Item ne deponantur super altaris mensam Sanctorum reliquiæ cum ad populi venerationem exhibentur.

11. Liturgiæ Romanæ traditio Martyrum aliorumve Sanctorum reliquias sub altari condendi opportune servabitur.[19] Hæc tamen notentur:

a) Reliquiæ deponendæ eius sint magnitudinis ex qua intellegi possit humanorum corporum eas esse partes. Itaque vitandum est ne nimis exiguæ condantur reliquiæ unius vel complurium Sanctorum.

b) Maxima cum diligentia inspiciatur utrum reliquiæ deponendæ authenticæ sint. Præstat altare sine reliquiis dedicari quam dubiæ fidei reliquias sub eo deponi.

c) Reliquiarum capsa neque super altare neque in altaris mensa est collocanda sed, attenta altaris forma, sub altaris mensa condenda.

Ubi peragitur ritus depositionis reliquiarum, valde expedit Vigilias ad reliquias Martyris vel Sancti celebrari, iuxta ea quæ supra cap. II, n. 10 indicantur.

[16] *Ibid.*, n. 262.
[17] Cf. *ibid.*, n. 263.
[18] *Contra Faustum*, XX, 21: PL 42, 384.
[19] Cf. Missale Romanum, *Institutio generalis*, n. 266.

III. De dedicationis celebratione

De ritus ministro

12. Ad Episcopum, cui Ecclesiæ particularis cura commissa est, nova altaria in sua diœcesi erecta spectat Deo dicare; quod si ipse facere nequit, munus committet alii Episcopo, præsertim ei quem socium et adiutorem habet in cura pastorali fidelium pro quibus novum altare est erectum; in adiunctis omnino peculiaribus presbytero, cui speciale dabit mandatum.

De die eligendo

13. Cum vero altare fiat sacrum in primis Eucharistiæ celebratione, ad rerum veritatem servandam caveatur ne in novo altari Missa celebretur antequam ipsum dedicetur, ita ut Missa dedicationis sit quoque prima Eucharistia quæ super ipsum altare peragitur.

14. Ad novum altare dedicandum, eligatur dies quo fideles frequentiores convenire possint, præsertim dies dominica, nisi rationes pastorales aliud suadeant. Ritus dedicationis altaris celebrari tamen nequit in Triduo paschali, in Feria IV Cinerum, in feriis Hebdomadæ sanctæ, et in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum.

De Missa dedicationis

15. Eucharistiæ celebratio ritui dedicationis altaris intime inhæret. Dicitur Missa « In dedicatione altaris ». In Nativitate Domini autem, in Epiphania, in Ascensione, in Dominica Pentecostes necnon in Dominicis Adventus, Quadragesimæ et Paschæ, sumitur Missa diei, præter orationem super oblata et præfationem, quæ ipsi ritui intime nectuntur.

16. Episcopum decet Missam concelebrare cum presbyteris adstantibus maximeque cum illis quibus traditum est munus regendæ parœciæ vel communitatis pro qua altare est erectum.

De ritus partibus

A. De ritibus initialibus

17. Ritus initiales Missæ dedicationis altaris fiunt more consueto præterquam quod, loco actus pænitentialis, Episcopus aquam benedicit eaque aspergit populum et novum altare.

B. De liturgia verbi

18. In liturgia verbi tres lectiones laudabiliter dicuntur selectæ, ad normam rubricarum, vel e liturgia diei (cf. supra n. 15) vel ex iis quæ pro ritu dedicationis altaris in Lectionario (III, 235-244) proponuntur.

19. Post lectiones Episcopus homiliam habet, in qua illustrat cum lectiones biblicas tum sensum dedicationis altaris.

Expleta homilia dicitur Symbolum. Oratio autem universalis omittitur, cum eius loco Sanctorum Litaniæ canantur.

C. De Prece dedicationis et de altaris unctione

De reliquiarum Sanctorum depositione

20. Post Litaniarum cantum, si casus fert, reliquiæ Martyrum aliorumve Sanctorum sub altari deponuntur, ut significetur omnes qui in morte Christi sunt baptizati, sed in primis illos qui sanguinem pro Domino fuderunt, passionem Christi participare (cf. supra n. 5).

De Prece dedicationis

21. Celebratio Eucharistiæ maximus est ritus isque unus necessarius ad altare dedicandum; attamen, secundum communem traditionem Ecclesiæ, cum Orientis tum Occidentis, dicitur etiam peculiaris Prex dedicationis, qua propositum significatur altare in perpetuum Domino dicandi eiusque benedictio exposcitur.

De ritibus unctionis, incensationis, velationis, illuminationis

22. Ritus unctionis, incensationis, velationis, illuminationis altaris visibilibus signis nonnulla exprimunt illius invisibilis operis, quod Dominus per Ecclesiam divina mysteria, præsertim Eucharistiam, celebrantem perficit.

a) *Unctio* altaris: Chrismatis unctione altare fit symbolum Christi, qui præ omnibus « Unctus » est et vocatur; nam Pater Spiritu Sancto unxit eum summumque constituit Sacerdotem, qui in altari Corporis sui vitæ sacrificium pro omnium salute offerret.

b) *Incensum* super altare comburitur ut significetur sacrificium Christi, quod ibi in mysterio perpetuatur, ad Deum ascendere in odorem suavitatis, sed et ut exprimatur fidelium orationes placabiles gratasque usque ad thronum Dei pervenire.[20]

c) *Velatio* altaris indicat altare christianum sacrificii eucharistici aram et Domini mensam esse, quam circum stantes sacerdotes et fideles, una eademque actione, diverso autem munere, Memoriale mortis et resurrectionis Christi celebrant et dominicam Cenam manducant. Ideo altare ut convivii sacrificalis mensa paratur ac festive exornatur. Quod clare significat illud esse mensam Domini, ad quam omnes fideles lætantes conveniunt ut divino cibo, Corpore nempe et Sanguine Christi immolati, reficiantur.

d) *Illuminatio* altaris admonet Christum esse « Lumen ad revelationem gentium »,[21] cuius claritate resplendet Ecclesia et per eam cuncta hominum familia.

D. De Eucharistiæ celebratione

23. Altari parato, Episcopus Eucharistiam celebrat, quæ totius ritus est pars præcipua necnon antiquissima.[22] Eucharistiæ enim celebratio aptissime cohæret ritui dedicationis altaris:

— celebratione sacrificii eucharistici finis ad quem altare est exstructum attingitur et præclare manifestatur;

— præterea Eucharistia, quæ sumentium corda sanctificat, altare quodammodo consecrat, ut antiqui Ecclesiæ Patres haud semel affirmarunt: « Hoc altare admirandum est, quia natura quidem lapis est, sanctum autem efficitur, postquam Christi Corpus excipit »;[23]

— nexus denique quo dedicatio altaris cum Eucharistiæ celebratione arcte coniungitur, ex hoc quoque patet quod Missa dedicationis præfatione propria ditatur, quæ ritui intime inhæret.

[20] Cf. Ap 8, 3-4: Angelus « venit et stetit ante Altare habens turibulum aureum, et data sunt illi incensa multa ut daret orationibus sanctorum omnium super Altare aureum, quod est ante thronum. Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu Angeli coram Deo ».

[21] Lc 2, 32.

[22] Cf. Vigilius PP., *Epistula ad Profuturum episcopum*, IV: PL 84, 832.

[23] S. Ioannes Chrysostomus, *Homil. XX in II Cor.*, 3: PG 61, 540.

IV. De ritu aptando

De aptationibus quæ Conferentiis Episcopalibus competunt

24. Conferentiæ Episcopales hunc Ordinem uniuscuiusque regionis moribus pro opportunitate aptare possunt, ita tamen ut nihil adimatur eius nobilitati ac sollemnitati.

Hæc vero serventur:

a) celebratio Missæ cum præfatione propria et Prex dedicationis numquam omittendæ sunt;

b) ritus, quibus ex traditione liturgica peculiaris sensus atque vis inest (cf. supra n. 22), nisi graves obstent rationes, serventur, formulis, si casus fert, convenienter aptatis.

In aptationibus autem peragendis, competens auctoritas ecclesiastica Sedem Apostolicam consulat atque de eius consensu aptationes inducat.[24]

De accommodationibus quæ ministris competunt

25. Ad Episcopum et ad eos qui ritum celebrandum curant de opportunitate reliquias Sanctorum deponendi statuere spectat; qua in re, iis quæ supra n. 11 dicta sunt servatis, bonum spiritale fidelium et rectus liturgiæ sensus præ omnibus respicienda sunt.

Ad rectorem autem ecclesiæ in qua altare dedicatur, adiuvantibus cooperatoribus in actione pastorali, omnia statuere ac parare spectat quod ad lectiones, cantus necnon subsidia pastoralia cum ad fovendam fructuosam participationem populi tum ad decorem celebrationis promovendum pertinet.

V. De præparatione pastorali

26. Fideles non solum tempestive certiores fiant de novi altaris dedicatione, sed etiam opportune præparentur ut actuose ritui intersint. Ideo, quid singuli ritus significent et quomodo peragantur erudiantur oportet. Ad quam impertiendam catechesim usui esse possunt quæ supra dicta sunt de altaris natura ac dignitate et de rituum sensu ac vi. Ita fideles recto ac debito erga altare imbuentur amore.

[24] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 40: *A.A.S.* 56 (1964) p. 111.

VI. De rebus parandis pro altaris dedicatione

27. Ad ritum dedicationis altaris celebrandum, hæc parentur:

— Missale Romanum, Lectionarium, Pontificale Romanum;
— crux et liber Evangeliorum in processione ferenda;
— vas aquæ benedicendæ cum aspersorio;
— vas sancti chrismatis;
— mantilia ad extergendam mensam altaris;
— si casus fert, tobalea linea cerata vel linteum impermeabile, ad mensuram altaris;
— pelvis et urceus cum aqua, mantilia et omnia necessaria ad abluendas manus Episcopi;
— gremiale linteum;
— foculus ad urenda incensa vel aromata; vel grana incensi et candelæ subtiles super altare comburenda;
— turibulum cum navicula incensi et cochleari;
— calix, corporale, purificatoria, manutergium;
— panis, vinum, aqua ad Missam celebrandam;
— crux altaris, nisi in presbyterio crux iam sit posita, vel crux quæ in processione introitus defertur prope altare collocetur;
— tobalea, cerei, candelabra;
— pro opportunitate, flores.

28. In Missa dedicationis altaris, sacræ vestes coloris albi vel festivi adhibentur. Parentur autem:

— pro Episcopo: alba, stola, planeta, mitra, baculus pastoralis, pallium si eo fruitur;
— pro presbyteris concelebrantibus: vestes pro Missa concelebranda;
— pro diaconis: albæ, stolæ, et, pro opportunitate, dalmaticæ;
— pro ceteris ministris: albæ vel aliæ vestes legitime probatæ.

29. Si reliquiæ Sanctorum sub altari condendæ sunt, hæc parentur:

a) *In loco ex quo incipit processio*:

— capsa cum reliquiis, floribus et facibus circumdata. Pro opportunitate autem capsa apto presbyterii loco, ante ritus initium, collocari potest;
— pro diaconis, qui reliquias deponendas portabunt: alba, stola coloris rubri, si de reliquiis Martyris agitur, vel coloris albi in ceteris

casibus, et, si præsto sunt, dalmaticæ. Si vero reliquiæ a presbyteris deferuntur, loco dalmaticarum, pro ipsis planetæ præparentur.

Reliquiæ tamen deferri possunt etiam ab aliis ministris, albis vel vestibus legitime probatis indutis.

b) *In presbyterio*:

— parva mensa in qua deponitur capsa reliquiarum dum prima pars ritus dedicationis peragitur.

c) *In secretario*:

— maltha seu arenatum quo caveæ operculum claudatur; adsit quoque faber cæmentarius, qui suo tempore claudat sepulcrum reliquiarum.

30. Convenienter servabitur mos includendi in capsa reliquiarum pergamenam in qua facta sit mentio diei, mensis, anni dedicationis altaris, nominis Episcopi ritum celebrantis, Tituli ecclesiæ necnon nominum Martyrum vel Sanctorum quorum reliquiæ sub altari condendæ sunt.

Conficiantur autem acta dedicationis in duplici exemplari, quorum alterum in diœceseos, alterum in ecclesiæ tabulario servetur, Episcopo, ecclesiæ rectori legatisque communitatis localis subsignanda.

ORDO DEDICATIONIS

Pars Prima

Ritus initiales

Ingressus in ecclesiam

31. Populo congregato, Episcopus et presbyteri concelebrantes, diaconi et ministri, sua quisque veste induti, crucifero præcedente, e secretario per aulam ecclesiæ ad presbyterium pergunt.

32. Reliquiæ Sanctorum, si sub altari deponendæ sunt, in ipsa processione introitus ad presbyterium afferuntur sive e secretario sive e sacello, ubi iam inde a vigilia ad venerationem fidelium sunt expositæ. Iusta tamen de causa parari possunt ante ritus initium, apto presbyterii loco, facibus circum ardentibus.

33. Incedente processione canitur antiphona ad introitum (cf. App. n. 27):

Protéctor noster, áspice, Deus,
et réspice in fáciem Christi tui;
quia mélior est dies una in átriis tuis super mília (T. P. Allelúia)

vel antiphona (cf. App. n. 28):

Introíbo ad altáre Dei,
ad Deum qui lætíficat iuventútem meam

cum Psalmo 42, vel alius aptus cantus.

Psalmus 42

1 Iúdica me, Deus, †
et discérne causam meam de gente non sancta; *
ab hómine iníquo et dolóso érue me.
2 Quia tu es Deus refúgii mei; †
quare me reppulísti, *
et quare tristis incédo, dum afflígit me inimícus?

(Repetitur antiphona)

3 Emítte lucem tuam et veritátem tuam; *
ipsa me dedúcant et addúcant
in montem sanctum tuum et in tabernácula tua.
4 Et introíbo ad altáre Dei, †
ad Deum lætítiæ exsultatiónis meæ. *
Confitébor tibi in cíthara, Deus, Deus meus.

(Repetitur antiphona)

5 Quare tristis es, ánima mea, *
et quare conturbáris in me?
Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi, *
salutáre vultus mei et Deus meus.

(Repetitur antiphona)

34. Cum processio ad presbyterium pervenerit, reliquiæ Sanctorum apto loco deponuntur, facibus circum ardentibus; presbyteri concelebrantes, diaconi, ministri locis sibi assignatis disponuntur; Episcopus autem, omisso altaris osculo, ad cathedram pergit. Deinde, depositis baculo et mitra, populum salutat, dicens:

Grátia et pax
sit ómnibus vobis
in Ecclésia sancta Dei

vel alia apta verba e sacra Scriptura præsertim deprompta. Populus respondet:

Et cum spíritu tuo

vel alia apta verba.

Benedictio aquæ et aspersio

35. Ritu introitus expleto, Episcopus aquam benedicit ad aspergendum populum in signum pænitentiæ et in memoriam baptismi atque ad altare abluendum. Ministri ad Episcopum stantem ad cathedram ferunt vas cum aqua. Episcopus omnes ad orandum invitat his vel similibus verbis:

Exsultántes, fratres dilectíssimi,
huc convénimus ad novum altáre
sacrifícii domínici celebratióne dicándum.
His sacris rítibus inténtis adsímus ánimis
et, verbum Dei audiéntes cum fide
ac mensam Dómini cum gáudio participántes,
in sanctam spem corda erigámus.
Ad unum nos altáre congregántes,
ad Christum accédimus, lápidem vivum,
in quo créscimus in templum sanctum.
Sed in primis Deum súpplices exorémus
ut benedícere dignétur hanc creatúram aquæ,
qua nos aspergémur
in pæniténtiæ signum atque in baptísmi memóriam
et novum abluétur altáre.

Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc Episcopus dicit:

Deus, per quem omnis creatúra ad vitæ prodit lumen,
tanta hómines proséqueris dilectióne
ut eos non solum patérna alas cura,
sed caritátis rore a peccátis cleménter emúndes
et ad Christum Caput constánter redúcas:
misericórdi enim consílio statuísti
ut qui in sacram descendíssent undam peccatóres,
Christo commórtui, insóntes resúrgerent
eiúsque membra fíerent
atque ætérni prǽmii coherédes.
Hanc ergo creatúram aquæ tua benedictióne ✠ sanctífica,
ut, in nos novúmque altáre aspérsa,
signum exsístat illíus salutáris lavácri,
quo, in Christo ablúti, spiritális ara sumus effécti;
nos autem cum ómnibus frátribus,
qui ad hoc altáre divína celebrábunt mystéria,

ad cæléstem Ierúsalem perveníre concédas.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

36. Invocatione super aquam expleta, Episcopus, diaconis comitantibus, aqua benedicta populum aspergit, per aulam ecclesiæ transiens et, ad presbyterium reversus, aspergit altare. Interea cantatur antiphona (cf. App. n. 8):

Vidi aquam egrediéntem de templo,
a látere dextro, allelúia;
et omnes, ad quos pervénit aqua ista,
salvi facti sunt, et dicent:
Allelúia, allelúia

aut, tempore Quadragesimæ, antiphona (cf. App. n. 9):

Dum sanctificátus fúero in vobis,
congregábo vos de univérsis terris,
et effúndam super vos aquam mundam,
et mundabímini ab ómnibus inquinaméntis vestris;
et dabo vobis spíritum novum

vel alius aptus cantus.

37. Post aspersionem, Episcopus ad cathedram revertitur et, cantu expleto, stans, manibus iunctis, dicit:

Deus, misericordiárum Pater,
cui hoc novum altáre dicámus in terris,
et remissiónem nobis tríbuat peccatórum
et in sublími altári suo
hóstiam laudis in ætérnum immoláre concédat.

Omnes:

Amen.

Hymnus et collecta

38. Deinde dicitur hymnus Glória in excélsis Deo, nisi occurrat dominica Adventus aut Quadragesimæ.

39. Quo hymno finito, Episcopus, manibus iunctis, dicit:

Orémus.

Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc Episcopus, manibus extensis, dicit:

Deus, qui ad Fílium tuum in ara crucis exaltátum
ómnia adtráhere voluísti,
cæléstì grátia perfúnde
fidéles tuos hanc tibi dicántes altáris mensam,
ad quam in unum congregátos,
eos próvide nútries,
Spiritúque effúso,
in dies constítues plebem tibi sacrátam.
Per Dóminum.

Omnes:

Amen.

Pars Secunda

Liturgia verbi

40. In liturgia verbi omnia fiunt more solito. Lectiones et Evangelium sumuntur, iuxta rubricas, vel e textibus qui in Lectionario (III, 235-244) pro ritu dedicationis altaris proponuntur, vel e Missa diei.

41. Lecto Evangelio, Episcopus homiliam habet in qua illustrat cum lectiones biblicas tum sensum ritus.

42. Symbolum semper dicitur. Oratio autem universalis omittitur, cum eius loco Litaniæ Sanctorum canantur.

Pars Tertia

Prex dedicationis et unctiones

Supplicatio litanica

43. Deinde Episcopus populum ad orandum invitat his vel similibus verbis:

Ascéndant, fratres dilectíssimi,
preces nostræ ad Deum Patrem omnipoténtem,
per Iesum Christum,
cui omnes Sancti sociántur,
eius passiónis consórtes
eiúsque mensæ convívæ.

44. Tunc canuntur Litaniæ Sanctorum, omnibus respondentibus; quod, diebus dominicis necnon tempore paschali, fit omnibus stantibus; ceteris autem diebus, flexis genibus; quo in casu diaconus admonet:

Flectámus génua.

45. In Litaniis, apto loco, adduntur invocationes Titularis ecclesiæ, Patroni loci et, si casus fert, Sanctorum quorum reliquiæ deponendæ sunt. Addi quoque possunt aliæ petitiones, quæ peculiarem ritus naturam et fidelium condicionem respiciant. Sanctorum cognomina inter parentheses posita, opportune omittuntur, quando Litaniæ cantantur (cf. App. n. 10).

Kýrie, eléison.
Kýrie, eléison.
Christe, eléison.
Christe, eléison.
Kýrie, eléison.
Kýrie, eléison.

Sancta María, Mater Dei, ora pro nobis
Sancte Míchael, ora pro nobis
Sancti Angeli Dei, oráte pro nobis
Sancte Ioánnes Baptísta, ora pro nobis

Sancte Ioseph,	ora pro nobis
Sancti Petre et Paule,	oráte pro nobis
Sancte Andréa,	ora pro nobis
Sancte Ioánnes,	ora pro nobis
Sancta María Magdaléna,	ora pro nobis
Sancte Stéphane,	ora pro nobis
Sancte Ignáti Antiochéne,	ora pro nobis
Sancte Lauránti,	ora pro nobis
Sanctæ Perpétua et Felícitas,	oráte pro nobis
Sancta Agnes,	ora pro nobis
Sancte Gregóri,	ora pro nobis
Sancte Augustíne,	ora pro nobis
Sancte Athanási,	ora pro nobis
Sancte Basíli,	ora pro nobis
Sancte Martíne,	ora pro nobis
Sancte Benedícte,	ora pro nobis
Sancti Francísce et Domínice,	oráte pro nobis
Sancte Francísce (Xavier),	ora pro nobis
Sancte Ioánnes María (Vianney),	ora pro nobis
Sancta Catharína Senénsis,	ora pro nobis
Sancta Terésia (de Ávila),	ora pro nobis
Omnes Sancti et Sanctæ Dei,	oráte pro nobis
Propítius esto,	líbera nos, Dómine
Ab omni malo,	líbera nos, Dómine
Ab omni peccáto,	líbera nos, Dómine
A morte perpétua,	líbera nos, Dómine
Per incarnatiónem tuam,	líbera nos, Dómine
Per mortem et resurrectiónem tuam,	líbera nos, Dómine
Per effusiónem Spíritus Sancti,	líbera nos, Dómine
Peccatóres,	te rogámus, audi nos
Ut Ecclésiam tuam sanctam régere et conserváre dignéris,	te rogámus, audi nos

Ut domnum apostólicum et omnes ecclesiásticos órdines in sancta religióne conserváre dignéris, te rogámus, audi nos
Ut cunctis pópulis pacem et veram concórdiam donáre dignéris, te rogámus, audi nos
Ut nosmetípsos in tuo sancto servítio confortáre et conserváre dignéris, te rogámus, audi nos
Ut hoc altáre consecráre dignéris, te rogámus, audi nos
Iesu, Fili Dei vivi, te rogámus, audi nos
Christe, audi nos.
Christe, audi nos.
Christe, exáudi nos.
Christe, exáudi nos.

46. Litaniarum cantu expleto, Episcopus stans, extensis manibus, dicit:

Supplicatiónes nostras, quǽsumus, Dómine,
intercessióne beátæ Maríæ Vírginis
et ómnium Sanctórum, propitiátus admítte,
ut hoc altáre locus fiat,
ubi máxima salútis perficiántur mystéria,
ac plebs tua múnera tibi ófferat,
vota pandat,
preces effúndat,
omnésque religiónis ac pietátis réferat sensus.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Diaconus, si casus fert, admonet:

Leváte.

Et omnes surgunt. Episcopus mitram resumit.

Ubi vero reliquiæ Sanctorum non deponuntur, Episcopus statim dicit precem dedicationis, ut infra n. 48 indicatur.

Depositio reliquiarum

47. Deinde, si Martyrum vel aliorum Sanctorum reliquiæ sub altari deponendæ sunt Episcopus ad altare accedit. Diaconus vel presbyter reliquias Episcopo affert, qui sepulcro opportune parato eas condit. Interea canitur antiphona (cf. App. n. 11):

Sub altári Dei sedes accepístis, Sancti Dei:
intercédite pro nobis ad Dóminum Iesum Christum

vel antiphona (cf. App. n 12):

Córpora Sanctórum in pace sepúlta sunt,
et vivent nómina eórum in ætérnum (T. P. Allelúia)

cum Psalmo 14, vel alius aptus cantus.

Psalmus 14

1 Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo? *
Quis requiéscet in monte sancto tuo?
(Repetitur antiphona)

2 Qui ingréditur sine mácula, et operátur iustítiam; *
qui lóquitur veritátem in corde suo,
3 qui non egit dolum in lingua sua, †
nec fecit próximo suo malum, *
et oppróbrium non íntulit próximo suo.
(Repetitur antiphona)

4 Ad níhilum reputátus est in conspéctu eius malígnus, *
timéntes autem Dóminum gloríficat.
Qui iurat in detriméntum suum et non mutat, †
5 qui pecúniam suam non dedit ad usúram, *
et múnera super innocéntem non accépit.
Qui facit hæc, *
non movébitur in ætérnum.
(Repetitur antiphona)

Interea faber cæmentarius sepulcrum claudit, Episcopus autem ad cathedram revertitur.

Prex dedicationis

48. Quibus peractis, Episcopus stans sine mitra ad altare, manibus extensis, elata voce dicit (cf. App. n. 29):

Te magnificámus, Dómine, te benedícimus,
quia ineffábili tuæ pietátis sacraménto statuísti
ut, figurárum cessánte varietáte,
mystérium altáris in Christo perficerétur.

Noe enim, alter humáni géneris sator,
undis placátis, tibi eréxit altáre et óbtulit sacrifícium,
quod tu, Pater, in odórem suavitátis accepísti,
cum homínibus rénovans fœdus amóris.

Abraham, fídei nostræ pater,
verbo tuo toto corde adhǽrens, exstrúxit altáre,
ut Isaac, dilécto fílio, non parcéndo tibi placéret.

Sed et Móyses, antíquæ Legis mediátor,
altáre ædificávit quod, sánguine agni respérsum,
aram crucis mýstice præsignáret.

Quæ ómnia Christus implévit pascháli mystério:
ille enim, sacérdos et víctima, árborem crucis conscéndens,
tibi, Pater, se ipsum oblatiónem mundam trádidit,
qua totíus mundi deleréntur peccáta
et novum ætérnúmque fœdus tecum pangerétur.

Súpplices ergo te, Dómine, adprecámur:
hoc altáre in domo Ecclésiæ ædificátum
cælésti sanctificatióne perfúnde,
ut ara fiat Christi sacrifício in perpétuum dicáta
et mensa exsístat domínica,
ubi plebs tua divíno reficiátur convívio.

* Hic expolítus lapis sit nobis Christi signum,
e cuius percússo látere unda manávit et cruor,
quibus Ecclésiæ sunt cóndita sacraménta.

Sit mensa festíva ad quam læti accúrrant Christi convívæ,
ut, curis et onéribus in te depósitis,
ad nova itínera novum ánimi sumant vigórem.

Sit locus íntimæ tecum communiónis et pacis,
ut qui córpore et sánguine Fílii tui vescéntur,
eius Spíritu imbúti, in tuo crescant amóre.

Sit fons unitátis Ecclésiæ et fratrum concórdiæ
ad quem fidéles tui una conveniéntes
spíritum háuriant mútuæ caritátis.

Sit centrum nostræ laudis et gratiárum actiónis,
donec ad ætérna tabernácula iubilántes perveniámus,
ubi cum Christo, summo Pontífice atque Altári vivo,
tibi perénnis laudis sacrifícium offerámus.
Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sǽcula sæculórum.

Omnes:

Amen.

Unctio altaris

49. Quibus peractis, Episcopus, deposita, si necesse est, planeta et assumpto gremiali linteo, ad altare accedit cum diacono vel alio ministro, qui vas sacri chrismatis fert.

Episcopus, stans ante altare, elata voce dicit:

Sanctíficet Dóminus sua virtúte
hoc altáre, quod nostro línimus ministério,
ut Christi mystérium,

---

* Si vero altare dicandum non sit lapideum, sed alia materia confectum, dicatur:

Hoc altáre sit nobis Christi signum,

qui pro mundi vita se óbtulit Patri,
visíbili éxprimat signo.

Deinde in medium altare eiusque quattuor angulos sacrum chrisma effundit, quo laudabiliter totam mensam linit.

50. Dum fit unctio canitur, præterquam tempore paschali (cf. infra n. 51), antiphona (cf. App. n. 30):

Unxit te Deus, Deus tuus,
óleo lætítiæ præ consórtibus tuis

cum Psalmo 44, vel alius aptus cantus.

Psalmus 44

2 Eructávit cor meum verbum bonum, †
dico ego ópera mea regi. *
Lingua mea cálamus scribæ velóciter scribéntis.

(Repetitur antiphona)

3 Speciósus forma es præ fíliis hóminum, †
diffúsa est grátia in lábiis tuis, *
proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

(Repetitur antiphona)

4 Accíngere gládio tuo super femur tuum, potentíssime; *
splendóre tuo et ornátu tuo próspere procéde;
5 currum ascénde propter veritátem
et mansuetúdinem et iustítiam. *
Et sagittábit pro te mirabíliter déxtera tua:
6 sagíttæ tuæ acútæ †
— pópuli sub te cadent — *
in corda inimicórum regis.

(Repetitur antiphona)

7 Sedes tua, Deus, in sǽculum sǽculi; *
sceptrum æquitátis sceptrum regni tui.

8 Dilexísti iustítiam et odísti iniquitátem, †
propterea unxit te Deus, Deus tuus, *
óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

(Repetitur antiphona)

51. Tempore autem paschali canitur antiphona (cf. App. n. 31):

Lápidem quem reprobavérunt ædificántes,
hic factus est in caput ánguli, allelúia

cum Psalmo 117, vel alius aptus cantus.

Psalmus 117

1 Confitémini Dómino, quóniam bonus, *
quóniam in sǽculum misericórdia eius.
16 Déxtera Dómini fecit virtútem, †
déxtera Dómini exaltávit me; *
déxtera Dómini fecit virtútem.
17 Non móriar, sed vivam, *
et narrábo ópera Dómini.
18 Castígans castigávit me Dóminus, *
et morti non trádidit me.

(Repetitur antiphona)

21 Confitébor tibi, quóniam exaudísti me, *
et factus es mihi in salútem.
22 Lápidem quem reprobavérunt ædificántes, *
hic factus est in caput ánguli;
23 a Dómino factum est istud, *
et est mirábile in óculis nostris.
24 Hæc est dies quam fecit Dóminus: *
exsultémus et lætémur in ea.

(Repetitur antiphona)

25 O Dómine, salvum me fac; *
o Dómine, da prosperitátem.
26 Benedíctus qui venit in nómine Dómini. *
Benedícimus vobis de domo Dómini.
27 Deus Dóminus et illúxit nobis. *
Instrúite sollemnitátem in ramis condénsis,
usque ad córnua altáris.

(Repetitur antiphona)

52. Unctione altaris peracta, Episcopus, ad cathedram reversus, sedet, manus lavat et deponit gremiale.

Incensatio altaris

53. Post ritum unctionis, super altare ponitur foculus ad incensa vel aromata cumburenda aut, si placet, fit super altare acervus incensi candelis mixti. Episcopus immittit incensum in foculum aut parvo cereo a ministro tradito acervum incensi succendit, dicens:

Dirigátur, Dómine, orátio nostra
sicut incénsum in conspéctu tuo;
et sicut hæc domus suávi replétur odóre,
ita Ecclésia tua redóleat Christi fragrántiam.

Tunc Episcopus incensum in turibulum immittit et incensat altare, deinde revertitur ad cathedram, incensatur et sedet; minister populum incensat. Interea canitur antiphona (cf. App. n. 16 vel 17):

Stetit ángelus iuxta aram templi,
habens turíbulum áureum in manu sua

vel antiphona (cf. App. n. 18):

Ascéndit fumus arómatum
in conspéctu Dómini de manu ángeli

cum Psalmo 137, vel alius aptus cantus.

Psalmus 137

1 Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo, *
quóniam audísti verba oris mei.
In conspéctu angelórum psallam tibi, *
2 adorábo ad templum sanctum tuum;
et confitébor nómini tuo †
propter misericórdiam tuam et veritátem tuam, *
quóniam magnificásti super omne nomen elóquium tuum.

(Repetitur antiphona)

3 In quacúmque die invocávero te, exáudi me; *
multiplicábis in ánima mea virtútem.
4 Confitebúntur tibi, Dómine, omnes reges terræ, *
quia audiérunt elóquia oris tui.
5 Et cantábunt vias Dómini, *
quóniam magna est glória Dómini;
6 quóniam excélsus Dóminus, †
et húmilem réspicit, *
et supérbum a longe cognóscit.

(Repetitur antiphona)

Velatio et illuminatio altaris

54. Incensatione peracta, nonnulli ministri mensam altaris mantilibus extergunt eamque, si casus fert, sternunt linteo impermeabili; deinde cooperiunt altare tobalea ac, pro opportunitate, floribus exornant; candelabra cum cereis, qui pro Missæ celebratione requiruntur et, si casus fert, crucem apte disponunt.

55. Postea diaconus accedit ad Episcopum qui, stans, ei tradit parvum cereum accensum, elata voce dicens:

Lumen Christi altáris mensam collústret
eóque refúlgeant domínicæ cenæ convívæ.

Deinde Episcopus sedet. Diaconus accedit ad altare et cereos pro Eucharistiæ celebratione accendit.

56. Tunc festiva fit illuminatio: omnes lampades circum altare in signum gaudii accenduntur. Interea canitur antiphona (cf. App. n. 32):

Apud te, Dómine, est fons vitæ,
et in lúmine tuo vidébimus lumen

vel alius aptus cantus, in honorem præsertim Christi, mundi luminis.

Pars Quarta

Liturgia eucharistica

57. Diaconi et ministri altare præparant more solito. Deinde nonnulli fideles afferunt panem, vinum, aquam ad sacrificium dominicum celebrandum. Episcopus accipit dona ad cathedram. Dum dona afferuntur, opportune canitur antiphona (cf. App. n. 33):

Si offers munus tuum ad altáre,
et ibi recordátus fúeris quia frater tuus
habet áliquid advérsum te,
relínque ibi munus tuum ante altáre,
et vade prius reconciliári fratri tuo;
et tunc véniens ófferes munus tuum, allelúia

vel antiphona (cf. App. n. 34):

Sanctificávit Móyses altáre Dómino,
ófferens super illud holocáusta,
et ímmolans víctimas;
fecit sacrifícium vespertínum in odórem suavitátis
Dómino Deo, in conspéctu filiórum Israel

vel alius aptus cantus.

58. Cum omnia parata sunt, Episcopus, ad altare accedit et, deposita mitra, illud osculatur. Missa prosequitur more solito; non incensantur tamen nec oblata nec altare.

59. Super oblata:

Descéndat, quǽsumus, Dómine Deus noster,
Spíritus tuus Sanctus super hoc altáre,
qui et dona pópuli tui sanctíficet,
et suméntium corda dignánter emúndet.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

60. Dicitur Prex eucharistica I vel III cum hac præfatione (cf. App. n. 35), quæ ritui dedicationis altaris inhæret:

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
per Christum Dóminum nostrum.

Qui verus sacérdos veráque efféctus hóstia,
sacrifícii, quod ipse in ara crucis tibi óbtulit,
memoriále nobis præcépit in perpétuum celebráre.
Ideo pópulus tuus hoc eréxit altáre,
quod tibi, Dómine, exsultántes dicámus.

Hic est vere locus excélsus,
ubi Christi sacrifícium in mystério iúgiter offértur,
tibi perfécta tribúitur laus
nostráque exséritur redémptio.

Hic domínica mensa parátur,
ad quam fílii tui, Christi córpore refécti,
in unam sanctámque congregántur Ecclésiam.

Hic fidéles Spíritum tuum háuriunt
de flumínibus a Christo, spirităli petra, manántibus,
per quem et ipsi fiunt oblátio sancta, vivum altáre.

Unde et nos, Dómine, cum Angelis et Sanctis univérsis
tibi confitémur, in exsultatióne dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth ...

61. Dum Episcopus Corpus Christi sumit, inchoatur cantus ad communionem. Canitur antiphona (cf. App. n. 36):

Passer invénit sibi domum,
et turtur nidum, ubi repónat pullos suos:
altária tua, Dómine virtútum,
rex meus et Deus meus:
beáti qui hábitant in domo tua,
in sǽculum sǽculi laudábunt te

vel antiphona (cf. App. n. 24):

Sicut novéllæ olivárum,
Ecclésiæ fílii sint in circúitu mensæ Dómini (T. P. Allelúia)

cum Psalmo 127, vel alius aptus cantus.

Psalmus 127

1 Beátus omnis qui timet Dóminum, *
qui ámbulat in viis eius.

(Repetitur antiphona)

2 Labóres mánuum tuárum manducábis, *
beátus es, et bene tibi erit.

3 Uxor tua sicut vitis fructífera *
in latéribus domus tuæ;
fílii tui sicut novéllæ olivárum *
in circúitu mensæ tuæ.

(Repetitur antiphona)

4 Ecce sic benedicétur homo, *
qui timet Dóminum.
5 Benedícat tibi Dóminus ex Sion, *
et vídeas bona Ierúsalem ómnibus diébus vitæ tuæ;
6 et vídeas fílios filiórum tuórum. *
Pax super Israel.

(Repetitur antiphona)

62. Post communionem:

Orémus.

Da nobis, Dómine, tuis semper altáribus inhærére,
ubi sacrifícii sacraméntum celebrátur,
ut, fide et caritáte coniúncti,
dum Christo refícimur
in Christum transformémur.
Qui vivit et regnat.

Omnes:

Amen.

Benedictio et dimissio

63. Episcopus, accepta mitra, dicit:

Dóminus vobíscum.

Populus respondet:

Et cum spíritu tuo.

Deinde diaconus, pro opportunitate, populum ad benedictionem accipiendam invitat his vel similibus verbis:

Inclináte vos ad benedictiónem.

Tum Episcopus, manibus super populum extensis, eum benedicit, dicens:

Deus, qui vos exórnat regáli sacerdótio,
tríbuat ut, munus vestrum sancte perficiéntes,
Christi sacrifícium valeátis digne participáre.

Omnes:
Amen.

Episcopus:
Et qui ad unam mensam vos cóngregat
unóque réficit pane
ex vobis fáciat cor unum et ánimam unam.

Omnes:
Amen.

Episcopus:
Ut eos, quibus Christum annuntiátis,
ad Christum trahátis exémplo vestræ dilectiónis.

Omnes:
Amen.

Episcopus accipit baculum et prosequitur:

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

Omnes:
Amen.

64. Denique diaconus populum dimittit more consueto.

CAPUT V

ORDO BENEDICTIONIS ECCLESIÆ

PRÆNOTANDA

1. Ædes sacras seu ecclesias, quæ modo stabili ad divina celebranda mysteria destinantur, expedit Deo dicari secundum Ordinem dedicationis ecclesiæ, capitibus II et III descriptum, qui rituum ac symbolorum vi excellit.

Oratoria autem privata, sacella vel ædes sacras, quæ ob peculiaria adiuncta ad tempus tantum divino cultui destinantur, benedici convenit secundum Ordinem qui infra describitur.

2. Quod attinet ad eorum ordinationem liturgicam, ad Tituli electionem, ad præparationem pastoralem fidelium, ea serventur, aptatis aptandis, quæ in Prænotandis ad Ordinem dedicationis ecclesiæ dicta sunt in cap. II, nn. 4-5, 7, 20.

Ecclesia vel oratorium benedicitur ab Episcopo diœceseos vel a presbytero ab eo delegato.

3. Ecclesia vel oratorium benedici potest quolibet die, præterquam Triduo paschali; potissimum vero eligatur dies quo fideles frequentiores convenire possint, præsertim dies dominica, nisi rationes pastorales aliud suadeant.

4. Diebus inscriptis in Tabula dierum liturgicorum, nn. 1-4, dicitur Missa diei; ceteris autem diebus dici potest vel Missa diei vel Missa Tituli ecclesiæ sive oratorii.

5. Ad ritum benedictionis ecclesiæ vel oratorii ea omnia parentur quæ pro Missæ celebratione requiruntur. Altare autem, etiamsi forte sit benedictum vel dicatum, nudum maneat usque ad initium liturgiæ eucharisticæ. Præterea apto presbyterii loco parentur:

— vas aquam continens et aspersorium necnon turibulum cum navicula incensi et cochleari;
— Pontificale Romanum;
— crux altaris, nisi in presbyterio crux iam sit posita vel crux, quæ in processione introitus defertur, prope altare collocetur;
— tobalea, cerei, candelabra et, pro opportunitate, flores.

6. Si vero, una cum benedictione ecclesiæ, altare consecrandum sit, ea omnia parentur quæ in cap. IV, n. 27 describuntur, necnon n. 29, si reliquiæ Sanctorum sub altari deponendæ sint.

7. In Missa benedictionis ecclesiæ, sacræ vestes coloris albi vel festivi adhibentur. Parentur autem:

— pro Episcopo: alba, stola, planeta, mitra, baculus pastoralis;
— (pro presbytero: vestes pro Missa celebranda);
— pro presbyteris concelebrantibus: vestes pro Missa concelebranda;
— pro diaconis: albæ, stolæ, dalmaticæ;
— pro ceteris ministris: albæ vel aliæ vestes legitime probatæ.

ORDO BENEDICTIONIS

Pars Prima

Ritus initiales

Ingressus in ecclesiam

8. Populo congregato, dum cantus ad introitum canitur, Episcopus et presbyteri concelebrantes, diaconi et ministri, sua quisque veste induti, crucifero præcedente, e secretario per aulam ecclesiæ ad presbyterium pergunt.

Cum processio ad presbyterium pervenerit, Episcopus, omisso osculo altaris eiusque incensatione, statim cathedram petit; ceteri locis sibi assignatis se disponunt.

9. Cantu expleto, Episcopus, baculo et mitra depositis, populum salutat, dicens:

Grátia et pax
sit ómnibus vobis
in Ecclésia sancta Dei

vel alia apta verba e sacra Scriptura præsertim deprompta. Populus respondet:

Et cum spíritu tuo

vel alia apta verba.

Benedictio aquæ et aspersio

10. Deinde, Episcopus aquam benedicit ad aspergendum populum in signum pænitentiæ et in memoriam baptismi atque ad parietes novæ ecclesiæ vel oratorii abluendos. Ministri ad Episcopum stantem ad cathedram ferunt vas cum aqua. Episcopus omnes ad orandum invitat his vel similibus verbis:

Fratres caríssimi, huc lætántes convénimus
ad novam ecclésiam Deo offeréndam;
ipsum ígitur súpplices exorémus
ut sua grátia nobis adésse dignétur

suáque virtúte hanc benedícere creatúram aquæ,
qua nos aspergémur
in pæniténtiæ signum ac baptísmi memóriam
et novæ ecclésiæ abluéntur paríetes.
Sed hoc in primis ánimo spectémus:
nos ipsos, fide et caritáte in unum congregátos,
vivam exsístere Ecclésiam, in mundo collocátam,
signum ac testimónium amóris,
quo Deus univérsos díligit hómines.

11. Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc Episcopus prosequitur:

Deus, per quem omnis creatúra ad vitæ prodit lumen,
tanta hómines proséqueris dilectióne
ut eos non solum patérna alas cura,
sed caritátis rore a peccátis cleménter emúndes
et ad Christum Caput constánter redúcas:
misericórdi enim consílio statuísti
ut qui in sacram descendíssent undam peccatóres,
Christo commórtui, insóntes resúrgerent
eiúsque membra fíerent
atque ætérni prǽmii coherédes.
Hanc ergo creatúram aquæ tua benedictióne ✠ sanctífica,
ut, in nos et huius ecclésiæ paríetes aspérsa,
signum exsístat illíus salutáris lavácri,
quo, in Christo ablúti, templum Spíritus tui sumus effécti;
nos autem cum ómnibus frátribus,
qui in hac ecclésia divína celebrábunt mystéria,
ad cæléstem Ierúsalem perveníre concédas.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

12. Invocatione super aquam expleta, Episcopus, diaconis comitantibus, aqua benedicta populum et parietes aspergit, per aulam ecclesiæ transiens et, ad presbyterium reversus, aspergit altare, nisi forte iam benedictum vel dicatum sit (cf. supra n. 5). Interea canitur antiphona (cf. App. n. 8):

Vidi aquam egrediéntem de templo,
a látere dextro, allelúia;
et omnes, ad quos pervénit aqua ista,
salvi facti sunt, et dicent:
Allelúia, allelúia

aut, tempore Quadragesimæ, antiphona (cf. App. n. 9):

Dum sanctificátus fúero in vobis,
congregábo vos de univérsis terris,
et effúndam super vos aquam mundam,
et mundabímini ab ómnibus inquinaméntis vestris;
et dabo vobis spíritum novum

vel alius aptus cantus.

13. Post aspersionem, Episcopus ad cathedram revertitur et, cantu expleto, stans, manibus iunctis, dicit:

Deus, misericordiárum Pater,
adsit in hac oratiónis domo
et Spíritus Sancti grátia
templum purificet habitatiónis suæ,
quod nos sumus.

Omnes:

Amen.

Hymnus et collecta

14. Deinde præterquam in Missa dominicæ vel feriæ temporis Adventus et Quadragesimæ, canitur hymnus Glória in excélsis Deo.

15. Quo hymno finito, Episcopus, manibus iunctis, dicit:

Orémus.

Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc Episcopus, manibus extensis, dicit, præterquam diebus inscriptis in Tabula dierum liturgicorum, nn. 1-4, hanc orationem:

Mitte, quǽsumus, Dómine, benedictiónem tuam
super hanc ecclésiam, quam nobis ædificáre concessísti,
et præsta, ut cuncti fidéles huc conventúri,
verbo tuo sanctísque inhæréntes mystériis,
Iesum Christum præséntem séntiant,
qui ómnibus in nómine suo congregátis
promísit seípsum in médio affutúrum.
Qui tecum vivit et regnat.

Omnes:

Amen.

Pars Secunda

Liturgia verbi

16. Lectiones sumuntur, iuxta rubricas (cf. supra n. 4), vel e liturgia diei vel e textibus qui in Lectionario (III, 233-257) pro ritu dedicationis ecclesiæ proponuntur.

17. Ad Evangelium non portantur luminaria nec incensum.

18. Post Evangelium Episcopus homiliam habet in qua illustrat cum lectiones biblicas tum sensum ritus.

19. Expleta homilia dicitur Symbolum, et fit oratio universalis more consueto.

Pars Tertia

Benedictio altaris

20. Deinde Episcopus ad altare benedicendum accedit. Interea canitur antiphona (cf. App. n. 24):

Sicut novéllæ olivárum
Ecclésiæ fílii sint in circúitu mensæ Dómini (T. P. Allelúia)

vel alius aptus cantus.

21. Cantu expleto, Episcopus, stans sine mitra, fideles alloquitur his vel similibus verbis:

Commúnitas nostra, fratres dilectíssimi,
exsúltans convénit ad hoc altáre benedicéndum.
Huic rítui inténtis adsímus ánimis,
Deúmque exorémus
ut oblatiónem Ecclésiæ super hoc altáre proponéndam
benígnus respíciat
populúmque suum perfíciat sibi munus ætérnum.

Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc Episcopus, manibus extensis, elata voce dicit (cf. App. n. 37):

Benedíctus es, Deus,
qui sacrifícium Christi tui, in ara crucis oblátum,
ad humáni géneris redemptiónem accepísti,
et ad eius celebrándum memoriále
plebem tuam ad mensam domínicam
patérna cóngregas caritáte.
Réspice ergo, Dómine, hoc altáre,
quod ad tua celebránda mystéria parávimus:
sit centrum nostræ laudis et gratiárum actiónis;
sit ara ubi Christi sacrifícium in mystério offerámus;
sit mensa in qua panem vitæ frangámus
et cálicem hauriámus unitátis;
sit fons ex qua nobis perénnis éffluat unda salútis,

ut, ad Christum accedéntes, lápidem vivum,
in eo crescámus in templum sanctum,
et super altáre cordis
sacrifícium vitæ sancte peráctæ
gratum et acceptábile offerámus
in laudem glóriæ tuæ.

Omnes:

Benedíctus Deus in sǽcula.

Tunc Episcopus immittit incensum in aliqua turibula et incensat altare. Deinde, accepta mitra, revertitur ad cathedram, incensatur et sedet. Ministri autem per ecclesiam transeuntes populum et aulam ecclesiæ incensant.

---

22. Si forte altare est dedicandum, dicto Symbolo et omissa oratione universali, ea serventur quæ in cap. IV, nn. 43-56, dicta sunt.

Si autem altare non est benedicendum aut consecrandum (ex. gr. quia in novam ecclesiam translatum est altare iam benedictum vel dicatum), post orationem universalem Missa prosequitur ut infra n. 23 indicatur.

Pars Quarta

Liturgia eucharistica

23. Ministri altare cooperiunt tobalea ac, pro opportunitate, floribus exornant; candelabra cum cereis, qui pro Missæ celebratione requiruntur et, si casus fert, crucem apte disponunt.

24. Altari parato, nonnulli fideles afferunt panem, vinum, aquam ad sacrificium dominicum celebrandum. Episcopus accipit dona ad cathedram. Dum dona afferuntur, opportune canitur antiphona (cf. App. n. 33):

Si offers munus tuum ad altáre,
et ibi recordátus fúeris quia frater tuus
habet áliquid advérsum te,

relínque ibi munus tuum ante altáre
et vade prius reconciliári fratri tuo;
et tunc véniens ófferes munus tuum, allelúia

vel antiphona (cf. App. n. 34):

Sanctificávit Móyses altáre Dómino,
ófferens super illud holocáusta,
et ímmolans víctimas;
fecit sacrifícium vespertínum in odórem suavitátis
Dómino Deo, in conspéctu filiórum Israel

vel alius aptus cantus.

25. Cum omnia parata sunt, Episcopus ad altare accedit et, deposita mitra, illud osculatur. Missa prosequitur more solito, non incensantur tamen nec oblata nec altare. Si vero altare in hac celebratione benedicendum vel dicandum non fuerat, incensatio fit more consueto.

---

26. Si sacellum Ss.mi Sacramenti est inaugurandum, expleta fidelium communione, omnia fiunt ut in cap. II, nn. 79-82, descripta sunt.

Benedictio et dimissio

27. Episcopus, accepta mitra, dicit:

Dóminus vobíscum.

Populus respondet:

Et cum spíritu tuo.

Deinde diaconus, pro opportunitate, populum ad benedictionem accipiendam invitat his vel similibus verbis:

Inclináte vos ad benedictiónem.

Tum Episcopus, manibus super populum extensis, eum benedicit:

Deus, Dóminus cæli et terræ,
qui vos hódie ad huius domus benedictiónem adunávit,
ipse vos cælésti benedictióne fáciat abundáre.

Omnes:

Amen.

Episcopus:

Concedátque vos fíeri templum suum
et habitáculum Spíritus Sancti,
qui omnes fílios dispérsos vóluit in Fílio suo congregári.

Omnes:

Amen.

Episcopus:

Quátenus felíciter emundáti,
habitatórem Deum in vobismetípsis possítis habére,
et ætérnæ beatitúdinis hereditátem
cum ómnibus Sanctis possidére.

Omnes:

Amen.

Episcopus accipit baculum et prosequitur:

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

Omnes:

Amen.

28. Denique diaconus populum dimittit more consueto.

CAPUT VI

ORDO BENEDICTIONIS ALTARIS

PRÆNOTANDA

1. « Altare fixum dicitur, si ita exstruatur ut cum pavimento cohæreat ideoque amoveri nequeat; mobile vero si transferri possit ».[1]

Altare fixum dedicandum est ritu qui supra cap. IV describitur. Sed et altari mobili debetur obsequium, eo quod est mensa unice stabiliterque convivio eucharistico destinata. Expedit igitur id, antequam in usum assumatur, si non dedicetur, saltem benedici ritu qui sequitur.[2]

2. Altare mobile ex quibuslibet materiis solidis, usui liturgico iuxta diversarum regionum traditiones et mores convenientibus, exstrui potest.[3]

3. In altari mobili erigendo ea serventur, aptatis aptandis, quæ in Prænotandis ad Ordinem dedicationis altaris (cap. IV, nn. 6-10) statuuntur; non licet tamen Sanctorum reliquias in eius basi condere.

4. Altare mobile congruenter benedicitur ab Episcopo diœceseos vel a presbytero ecclesiæ rectore.

5. Altare mobile benedici potest quolibet die, præterquam Feria VI in Passione Domini et Sabbato Sancto; potissimum vero eligatur dies quo fideles frequentiores convenire possint, præsertim dies dominica, nisi rationes pastorales aliud suadeant.

6. In ritu benedictionis altaris mobilis dicitur Missa diei.

7. Usque ad initium liturgiæ eucharisticæ altare omnino nudum sit. Proinde crux, si casus fert, tobalea, cerei aliaque ad illud parandum necessaria opportuno presbyterii loco disponantur.

[1] Missale Romanum, *Institutio generalis*, n. 261.
[2] Cf. *ibid.*, n. 265.
[3] Cf. *ibid.*, n. 264.

ORDO BENEDICTIONIS

8. In Missa omnia fiunt more consueto. Expleta autem oratione universali, Episcopus accedit ad altare benedicendum. Interea canitur antiphona (cf. App. n. 24):

Sicut novéllæ olivárum
Ecclésiæ fílii sint in circúitu mensæ Dómini (T. P. Allelúia)

vel alius aptus cantus.

9. Postea Episcopus, stans sine mitra, fideles alloquitur his vel similibus verbis:

Commúnitas nostra, fratres dilectíssimi,
exsúltans convénit ad hoc altáre benedicéndum.
Huic rítui inténtis adsímus ánimis,
Deúmque exorémus
ut oblatiónem Ecclésiæ super hoc altáre proponéndam
benígnus respíciat
populúmque suum perfíciat sibi munus ætérnum.

Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc Episcopus, manibus extensis, elata voce dicit (cf. App. n. 37):

Benedíctus es, Deus,
qui sacrifícium Christi tui, in ara crucis oblátum,
ad humáni géneris redemptiónem accepísti,
et ad eius celebrándum memoriále
plebem tuam ad mensam domínicam
patérna cóngregas caritáte.
Réspice ergo, Dómine, hoc altáre,
quod ad tua celebránda mystéria parávimus:
sit centrum nostræ laudis et gratiárum actiónis;
sit ara ubi Christi sacrifícium in mystério offerámus;
sit mensa in qua panem vitæ frangámus
et cálicem hauriámus unitátis;
sit fons ex qua nobis perénnis éffluat unda salútis,

ut, ad Christum accedéntes, lápidem vivum,
in eo crescámus in templum sanctum,
et super altáre cordis
sacrifícium vitæ sancte peráctæ
gratum et acceptábile offerámus
in laudem glóriæ tuæ.

Omnes:

Benedíctus Deus in sǽcula.

10. Deinde Episcopus aspergit altare aqua benedicta et illud incensat. Postea revertitur ad cathedram, accipit mitram, incensatur et sedet. Minister incensat populum.

11. Ministri altare cooperiunt tobalea ac, pro opportunitate, floribus exornant; candelabra cum cereis, qui pro Missæ celebratione requiruntur et, si casus fert, crucem apte disponunt.

12. Altari parato, nonnulli fideles afferunt panem, vinum, aquam ad sacrificium dominicum celebrandum. Episcopus accipit dona ad cathedram. Dum dona afferuntur, opportune canitur antiphona (cf. App. n. 33):

Si offers munus tuum ad altáre,
et ibi recordátus fúeris quia frater tuus
habet áliquid advérsum te,
relínque ibi munus tuum ante altáre
et vade prius reconciliári fratri tuo;
et tunc véniens ófferes munus tuum, allelúia

vel alius aptus cantus.

13. Cum omnia parata sunt. Episcopus ad altare accedit et, deposita mitra, illud osculatur. Missa prosequitur more solito, non incensantur tamen nec oblata nec altare.

CAPUT VII

ORDO BENEDICTIONIS CALICIS ET PATENÆ

PRÆNOTANDA

1. Calix et patena quibus vinum et panis offeruntur, consecrantur et sumuntur,[1] cum unice et stabiliter ad Eucharistiam celebrandam destinentur, fiunt « vasa sacra ».

2. Voluntas autem hæc vasa unice ad Eucharistiam celebrandam destinandi manifestatur coram fidelium communitate, peculiari benedictione laudabiliter intra Missam impertienda.

3. Quilibet sacerdos calicem et patenam benedicere potest, dummodo secundum normas, quæ in Institutione generali Missalis Romani, nn. 290-295, indicantur, confecta sint.

4. Si calix tantum aut patena benedicenda est, textus opportune aptentur.

[1] Cf. Missale Romanum, *Institutio generalis*, n. 289.

ORDO BENEDICTIONIS INTRA MISSAM ADHIBENDUS

5. In liturgia verbi, præterquam diebus inscriptis in Tabula dierum liturgicorum, nn. 1-9, legi possunt una vel duæ lectiones ex iis quæ infra nn. 6-8 proponuntur.

Lectiones e sacra Scriptura

6. 1. 1 Cor 10, 14-22 a (Gr 10-22): « Calix benedictionis, nonne communicatio sanguinis Christi est? ».
Carissimi mihi, fugite ab idolorum cultura ...

2. 1 Cor 11, 23-26: « Hic calix novum testamentum est in meo Sanguine ».
Fratres: Ego accepi a Domino quod et tradidi vobis ...

Psalmi responsorii

7. 1. Ps 15, 5 et 8. 9-10. 11
℟. (5a): Dominus pars hereditatis meæ et calicis mei.

2. Ps 22, 1-3 a. 3 b-4. 5. 6
℟. (5a.d): Parasti in conspectu meo mensam et calix meus redundat.

Evangelia

8. 1. Mt 20, 20-28: « Calicem meum bibetis ».
In illo tempore: Accessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi ...

2. Mc 14, 12-16. 22-26: « Accepto calice, gratias agens dedit eis, et biberunt ex illo omnes ».
Primo die azymorum, quando pascha immolabant ...

9. Post lectionem verbi Dei fit homilia, in qua sacerdos cum lectiones biblicas tum sensum benedictionis calicis et patenæ, quæ in celebratione Cenæ dominicæ adhibentur, illustrat.

10. Oratione universali expleta, ministri vel legati communitatis calicem et patenam offerentis, ea super altare collocant. Deinde sacerdos ad altare se confert, dum cantatur antiphona (cf. App. n. 38):

Cálicem salutáris accípiam,
et nomen Dómini invocábo

vel alius aptus cantus.

11. Cantu expleto, sacerdos dicit:

Orémus.

Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc sacerdos prosequitur:

In altári tuo, Dómine Deus,
hunc cálicem et hanc paténam
ad novi fœ́deris sacrifícium celebrándum
cum gáudio depónimus:
Fílii tui Corpus et Sanguis,
quæ in eis offerúntur et sumúntur,
vasa hæc sancta effíciant.
Præsta, quǽsumus, Dómine,
ut, sacrifícia illibáta celebrántes,
tuis in terra reficiámur sacraméntis
tuóque imbuámur Spíritu,
donec in regno cælórum
tuo cum Sanctis fruámur convívio.
Tibi glória et honor in ætérnum.

Omnes:

Benedíctus Deus in sǽcula.

12. Postea ministri corporale super altare collocant. Nonnulli fideles afferunt panem, vinum, aquam ad sacrificium dominicum celebrandum. Sacerdos in patena et calice modo benedictis oblata deponit et offert more consueto. Interea opportune canitur antiphona (cf. App. n. 39):

Cálicem salutáris accípiam,
et sacrificábo hóstiam laudis (T. P. Allelúia)

cum Psalmo 115, vel alius aptus cantus.

Psalmus 115

10 Crédidi, étiam cum locútus sum: *
« Ego humiliátus sum nimis ».
11 Ego dixi in trepidatióne mea: *
« Omnis homo mendax ».
(Repetitur antiphona)

12 Quid retríbuam Dómino *
pro ómnibus quæ retríbuit mihi?
13 Cálicem salutáris accípiam, *
et nomen Dómini invocábo.
(Repetitur antiphona)

14 Vota mea Dómino reddam *
coram omni pópulo eius.
15 Pretiósa in conspéctu Dómini *
mors sanctórum eius.
(Repetitur antiphona)

16 O Dómine, ego servus tuus, *
ego servus tuus et fílius ancíllæ tuæ.
Dirupísti víncula mea: †
17 tibi sacrificábo hóstiam laudis, *
et nomen Dómini invocábo.
(Repetitur antiphona)

18 Vota mea Dómino reddam *
coram omni pópulo eius,
19 in átriis domus Dómini, *
in médio tui, Ierúsalem.
(Repetitur antiphona)

13. Dicta oratione In spíritu humilitátis, sacerdos opportune incensat dona et altare.

14. Attentis celebrationis adiunctis, convenienter fideles sanguinem Christi accipiunt e calice modo benedicto.

ORDO BENEDICTIONIS EXTRA MISSAM ADHIBENDUS

15. Populo congregato, sacerdos, indutus alba vel superpelliceo et stola, accedit ad sedem. Interea opportune canitur antiphona cum Psalmo 115 (cf. supra n. 12) vel alius aptus cantus.

16. Sacerdos fideles salutat, dicens:

Grátia Dómini nostri Iesu Christi,
qui corpus et sánguinem óbtulit pro nostra salúte,
et cáritas Dei,
et communicátio Sancti Spíritus sit cum ómnibus vobis

vel alia apta verba e sacra Scriptura præsertim deprompta. Populus respondet:

Et cum spíritu tuo

vel alia apta verba.

17. Deinde sacerdos fideles breviter alloquitur ut eorum animos ad celebrationem disponat et ritus sensum illustret.

18. Postea leguntur unus vel plures textus sacræ Scripturæ, ex iis præsertim selecti qui supra proponuntur, congruo interiecto psalmo responsorio (cf. supra nn. 6-8) vel intervallo silentio peragendo.

19. Post lectionem verbi Dei fit homilia, in qua sacerdos cum lectiones biblicas tum sensum benedictionis calicis et patenæ, quæ in celebratione Cenæ dominicæ adhibentur, illustrat.

20. Expleta homilia, ministri vel legati communitatis calicem et patenam offerentis, ea super altare collocant; deinde sacerdos ad altare se confert. Interea cani potest antiphona (cf. App. n. 38):

Cálicem salutáris accípiam,
et nomen Dómini invocábo

vel alius aptus cantus.

21. Tum sacerdos dicit:

Orémus.

Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Sacerdos prosequitur:

Réspice, Pater, fílios tuos,
qui hunc cálicem et hanc paténam
læti in altári deposuérunt:
hæc vasa quæ concórdi plebis tuæ voluntáte destinántur
ad novi fœderis sacrifícium celebrándum,
tua benedictióne ✠ sancta fiant.
Et nos qui, sacra litántes,
tuis in terris refícimur sacraméntis,
divíno imbuámur Spíritu,
donec in regno cælórum
una cum Sanctis tuo fruámur convívio.
Tibi glória et honor in ætérnum.

Omnes:

Benedíctus Deus in sǽcula.

22. Postea fit oratio universalis, vel modo in Missæ celebratione consueto vel modo qui hic proponitur:

Dóminum Iesum,
qui panem vitæ et cálicem salutárem
se ipsum Ecclésiæ indesinénter tradit,
súpplices deprecémur, dicéntes:

℟. Christe, panis cæléstis, da nobis vitam ætérnam.

Salvátor noster,
qui voluntátem Patris obsecútus,
cálicem passiónis pro nostra salúte potásti,
— concéde nobis ut mystérii mortis tuæ partícipes effécti,
cælórum regnum ássequi mereámur. ℟.

Sacérdos Altíssimi,
qui altáris sacraménto ades et lates,
— præsta ut fide cernámus quod óculis obscónditur. ℟.

Pastor bone,
qui cibum et potum discípulis te præbes,
— fac ut qui de te satiámur,
in te transformémur. ℟.

Agnus Dei,
qui in signo panis et vini
Ecclésiæ tuæ paschále mystérium celebráre præcepísti,
— præsta ut memoriále passiónis et resurrectiónis tuæ
cunctis fidélibus sit spiritális vitæ culmen et fons. ℟.

Fílii Dei,
qui famem ac sitim tui
pane vitæ et potu salutári in nobis mirabíliter sátias,
— fac ut ex Eucharístiæ mystério
caritátem hauriámus erga te et cunctos hómines. ℟.

Deinde sacerdos opportune introducit orationem dominicam his vel similibus verbis:

Culmen deprecatiónis nostræ sit prex Christi,
qui, cruci affíxus, salútis fuit Mediátor
et, voluntátem Patris adímplens, oratiónis éxstitit Magíster:

Omnes:

Pater noster, qui es in cælis;
sanctificétur nomen tuum;
advéniat regnum tuum;
fiat volúntas tua, sicut in cælo, et in terra.
Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie;
et dimítte nobis débita nostra,
sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris;
et ne nos indúcas in tentatiónem;
sed líbera nos a malo.

Sacerdos immediate prosequitur:

Deus, qui Fílii tui morte et resurrectióne
univérsos hómines redemísti,
consérva in nobis opus misericórdiæ tuæ,
ut, Christi mystérium iúgiter recoléntes,
nostræ salútis fructus cónsequi mereámur.
Qui tecum vivit.

Omnes:

Amen.

23. Denique sacerdos benedicit populum more consueto eumque dimittit, dicens:

Ite in pace.

Omnes:

Deo grátias.

APPENDIX

CANTUS ANTIPHONARUM ET ALIORUM TEXTUUM

1. Antiphona super Psalmum 83 (pag. 10)

VIIIc

Concupí- scit * á- nima me- a in á-tri- a Dómi-ni. T.P. Dó-

mi-ni, alle- lú- ia. E u o u a e.

2. Acclamatio (pag. 12)

VII

Pax æ-tér- na ab Æ-térno * hu- ic cœ́-tu- i. Pax perénnis, Verbum

Patris, sit pax De- i pó-pulo. Pa-cem pi- us Conso-lá-tor cunctis præ-

stet génti-bus.


3. Antiphona super Psalmum 47 (pag. 15)

I. g


Lá- pi-des pre-ti- ó-si * omnes mu-ri tu- i, et turres Ierú-sa- lem

gemmis ædi- fi-ca-búntur. T. P. Alle- lú- ia. E u o u a e.

4. Antiphona in impositione primarii lapidis (pag. 18)



Bene fundá-ta est * domus Dómi-ni supra firmam petram.




T.P. Alle-lú- ia. E u o u a e.

5. Antiphona super Psalmum 121 (pag. 32, 36, 37, 62)




In domum Dómi-ni * læ-tántes í-bimus. E u o u a e.

6. Antiphona super Psalmum 23 (pag. 33, 36)




E-levá-mini, * portæ æ-terná-les, et intro- í- bit Rex gló-ri- æ.



E u o u a e.

7. Antiphona ad introitum super Psalmum 121 (pag. 37, 62)



De- us * in lo- co sancto su- o: De- us, qui inha- bi- tá-



re fa- cit un- á-nimes in do- mo: ipse dabit vir- tú- tem



et forti- tú- di- nem ple- bi su- æ.

8. Antiphona ad aspersionem (pag. 39, 65, 95, 116)

VIII

Vi-di a- quam * egre- di- én-tem de tem- plo, a lá-

te- re dex- tro, alle- lú- ia; et omnes, ad quos pervé- nit

a- qua i-sta, sal- vi fac- ti sunt et di- cent: Alle-

lú- ia, al- le- lú- ia.

9. Alia Antiphona ad aspersionem tempore Quadragesimæ (pag. 39,65,95,116)

III

Dum sancti- fi-cá-tus * fú- e-ro in vo- bis, congre-gábo


vos de uni-vér- sis ter- ris; et effún- dam super vos a-

quam mun- dam, et mundabí- mi- ni ab óm- ni- bus in-

quinaméntis ve- stris; et da- bo vo-bis spí- ri- tum no- vum.


10. Cantus Litaniarum Sanctorum (pag. 42, 67, 97)

Supplicatio ad Deum:




Ký-ri- e, e-lé- i-son. *ij.* Christe, e-lé- i-son. *ij.* Ký-ri- e, e-lé- i-son. *ij.*

Invocatio Sanctorum:




Sancta Ma-rí- a Ma-ter De- i. ℟. Ora pro nobis. ℟. Orá-te pro nobis.

Invocatio ad Christum:



Propí- ti- us e- sto, ℟. Lí-be-ra nos, Dómi-ne.

Supplicatio pro variis necessitatibus:



Ut nobis par- cas, ℟. Te rogámus, audi nos.


Conclusio:




Christe, audi nos. *ij.* Christe, exáudi nos. *ij.*

11. Antiphona ad depositionem reliquiarum, super Psalmum 14 (pag. 44, 70, 100)

VI f




Sub altá- ri De- i * sedes ac- ce- pí- stis, Sancti De- i, intercé-di-



te pro no- bis ad Dóminum Ie- sum Christum. E u o u a e.


12. Antiphona ad depositionem reliquiarum, super Psalmum 14 (pag. 44, 70, 100)



Córpo-ra Sanctó-rum * in pa- ce sepúl-ta sunt, et vi-vent nómi-na




e- ó- rum † in æ-térnum. T.P. † in æ-térnum, alle- lú- ia.



E u o u a e.


13. Prex dedicationis ecclesiæ (pag. 45)




De- us, Ecclé-si- æ tu- æ sancti- fi-cá-tor et rector, nomen tu- um




nos decet festí-vo ce- lebrá-re præcó-ni- o, qui-a hódi- e fi-dé- li- um




plebs hanc o-ra-ti- ónis domum, ubi te pi- e vene- rá-tur, verbo e-ru-



dí-tur, á- li-tur sacraméntis, sollémni ritu cu-pit in perpé-tu- um tibi



di-cá-re. Hæc ædes mysté- ri- um adúmbrat Eccló- si- æ, quam Christus



su- o sancti- fi-cá-vit cru- ó-re ut Sponsam si-bi exhibé-ret glo-ri-

ó-sam, Vírginem fí-de- i integri-tá-te conspí-cu- am, Matrem Spí- ri-tus

virtú-te fecúndam. Ecclé- si- a sancta, e-lécta ví-ne- a Dómi-ni, cu-ius

palmí- tibus mundus omnis implé-tur, quæ propá-gines su- as, ligno ba-

iu-lánte, suspénsas é-ri- git ad regna cæ-lórum. Ecclé-si- a fe- lix, ta-

bernácu-lum De- i cum homí-nibus, templum sanctum, quod lapí-dibus

vi-vis exstrú- i-tur, Aposto-ló-rum fundaméntis consístens, Christo

Iesu summo lá-pide angu-lá-ri. Ecclé-si- a sublímis, Cí-vi- tas

iugo montis e-récta, perspí-cu- a cunctis, et ómni-bus clara, ubi A-

gni lucérna fulget pe-rénnis et gratum ré-sonat cánti-cum be- a-tórum.

Súpplices ergo te, Dómine, ad-pre-cámur: digná-re hanc ecclé-si- am et

hoc altá- re cæ-lésti sancti- fi-ca- ti- óne perfúnde-re, ut locus sanctus

semper exsístat et mensa fi- at in perpé-tu- um Christi sacri- fí- ci- o

pa-rá-ta. Hic unda di-vínæ grá-ti- æ hóminum óbru- at de-lícta, ut fí-

li- i tu- i, Pater, peccá-to mórtu- i vi-tæ renascántur supérnæ. Hic

fidé- les tu- i, altá- ris mensam circumstántes, memori- á- le Páscha-tis

cé- lebrent et verbi Christi e-iúsque córpo-ris re-fi- ci- ántur conví-

vi- o. Hic laudis oblá-ti- o iucúnda resúl-tet, Ange-ló-rum concéntibus

vox hóminum so-ci- á- ta, ac pro mundi salú- te iugis ad te ascén-

dat o-rá- ti- o. Hic páuperes mi- se-ri-córdi- am invé- ni- ant, oppréssi

ve-ram consequántur li- bertá-tem cunctíque hómines fi- li- órum tu- ó-

rum índu- ant digni-tá-tem, donec ad illam, quæ sursum est, Ierú-

sa-lem, exsultántes pervé-ni- ant. Per Dóminum nostrum Iesum Chri-

stum, Fí- li- um tu- um, qui te-cum vi- vit et regnat in uni- tá-te Spí-ri-

tus Sancti, De- us, per ómni- a sǽcu- la sæcu-lórum. ℟. Amen.

14. Antiphona ad unctionem altaris, super Psalmum 83 (pag. 48, 73)

I f

Ecce ta-bernácu- lum De- i * cum homí-ni- bus, et ha-bi-tá-bit

cum e- is; et ipsi pópu-lus e-ius e- runt, et ipse De- us cum e- is


e- rit † e- ó- rum De- us. T.P. † e- ó-rum De- us, alle- lú- ia.

E u o u a e.


15. Antiphona ad unctionem altaris, super Psalmum 83 (pag. 48, 73)

II D

Templum Dómini * sanctum est, De- i structú-ra est, De- i æ-



16. Antiphona ad incensationem, super Psalmum 137 (pag. 50, 75, 105)



17. Antiphona ad incensationem, super Psalmum 137 (pag. 50, 75, 105)

I

Ste- tit * ánge- lus iuxta a- ram

tem- pli, ha- bens tu-rí-bu- lum áu- re-


um in manu su- a; et da-ta sunt e- i incénsa mul- ta;

et ascén- dit fu- mus


a- ró- ma- tum in conspéctu De- i, alle-




18. Antiphona ad incensationem, super Psalmum 137 (pag. 50, 75, 105)



19. Antiphona ad illuminationem ecclesiæ, super Canticum Tobiæ (pag. 51, 76)



20. Antiphona ad illuminationem ecclesiæ, super Canticum Tobiæ (pag. 51, 77)



21. Antiphona ad offertorium (pag. 52, 77)

VI

Dómine De- us, * in simpli- ci- tá- te cordis me- i

læ- tus ób- tu- li u- ni-vér- sa; et pó- pu- lum tu- um,

qui repér- tus est, vi-di cum ingén-ti gáu- di- o; De- us Is-

ra- el, custó- di hanc vo- lun- tá-tem, Dómi-ne

De- us. T.P. Alle- lú- ia.

22. Præfatio dedicationis ecclesiæ (pag. 53)


Dóminus vo-bíscum ℟. Et cum spí- ri-tu tu- o. ℣. Sursum corda.


℟. Habé-mus ad Dómi-num. ℣. Grá- ti- as a-gámus Dómi-no De- o


nostro ℟. Dignum et iustum est.


Ve-re dignum et iustum est, æquum et sa-lu-tá-re, nos tibi, sancte



Pa-ter, semper et u-bíque grá- ti- as á-ge-re. Qui templum gló- ri- æ



tu- æ u-nivérsum mundum fe-císti ut nomen tu-um u-bíque clari- fi-



ca- ré-tur, sed et lo-ca di-ví- nis apta mysté-ri- is non rénu- is ti- bi sa-


crá-ri: hanc ergo o-ra-ti- ó-nis domum, humáno exstrúctam la-bó-re,


ma-iestá-ti tu- æ exsultántes di-cámus. Hic ve-ri Templi adumbrá-tur


mysté-ri- um et cælé-stis Ierú- sa-lem præno-tá-tur i-má-go: corpus e-nim


Fí- li- i tu- i, ex alma Vírgine na-tum, templum effe- cí- sti ti-bi sa-


crá-tum, in quo inha-bi-tá-ret ple-ni-túdo di- vi-ni- tá- tis. Ecclé-si- am au-


tem sanctam consti- tu- ísti ci- vi- tá-tem, super fundaméntum Aposto-


ló-rum ædi- fi- cá- tam, summo angu- lá-ri lá-pide ipso Christo Ie-

23. Antiphona ad communionem, super Psalmum 127 (pag. 55, 79)

24. Antiphona ad communionem, super Psalmum 127 (pag. 55, 79, 109, 118, 123)

IV E

Sic- ut novéllæ o- li- várum, * Ecclé- si- æ fí- li- i sint in circú- i- tu mensæ † Dómi- ni. T. P. † Dómi- ni, alle- lú- ia.

E u o u a e.

25. Antiphona ad inaugurandum sacellum Ss.mi Sacramenti, super Psalmum 147 (pag. 56)

I g 3

Lauda, * Ierú-sa- lem, Dóminum. E u o u a e.

26. Præfatio dedicationis ecclesiæ in qua iam de more sacra celebrantur (pag. 78)

Dóminus vo-bíscum. ℟. Et cum spí- ri-tu tu- o. ℣. Sursum corda.

℟. Habé-mus ad Dóminum. ℣. Grá-ti- as a-gá-mus Dómino De- o nostro. ℟. Dignum et iustum est.

Ve- re dignum et iustum est, æquum et sa- lu- tá-re, nos ti-bi semper

et ubíque grá- ti- as áge- re: Dómine, sancte Pa-ter, omní-potens æ-

térne De- us: per Chri-stum Dó-minum nostrum. Qui- a in domo vi-

sí-bi- li quam nobis exstrú- e-re conces-sísti, u-bi famí- li- æ in hoc

loco ad te pe-regri-nánti favé- re non dé-si-nis, mysté-ri- um tu-æ no-

bíscum communi- ó-nis mi-re fi-gú-ras et ope-rá- ris: hic e-nim ti-bi

templum illud quod nos sumus æ-dí- fi-cas, et Ecclé-si- am per orbem

diffú-sam in domí-ni-ci compá-gem córpo-ris fa-cis au-gé- ri, in pa-cis

vi-si- óne compléndam, cæ-lésti ci-vi- tá- te Ie-rú-sa-lem. Et íd-e- o,

cum mul-ti-túdi-ne órdinum be- a- tó-rum, in templo gló-ri- æ tu- æ,

te collaudámus, be-ne-dí-cimus et magni- fi- cámus, di-céntes:

27. Antiphona ad introitum in dedicatione altaris, super Psalmum 42 (pag. 92)

IV

Pro-téc- tor no- ster, * á- spi-ce, De- us, et réspi-ce in fá- ci- em Chri- sti tu- i: qui- a mé- li- or est di- es u- na in átri- is tu- is su- per míl- li- a.

T.P. Alle- lú- ia, alle- lú- ia.

28. Antiphona ad introitum in dedicatione altaris, super Psalmum 42 (pag. 92)

IV A

Intro- í-bo * ad altá-re De- i, ad De-um qui læ-tí- fi- cat iu- ventú-tem me- am. E u o u a e.

29. Prex dedicationis altaris (pag. 101)

Te magni- fi-cámus, Dómine, te be-nedí- cimus, qui- a ineffá-bi- li tu- æ pietá- tis sacraménto sta-tu- í-sti ut, fi-gurá-rum cessánte va-

ri- e- tá-te, mysté- ri- um altá-ris in Christo perfi- ce-ré-tur. No- e e-

nim, alter humáni géne- ris sator, undis placá- tis, ti-bi e-ré-xit altá-

re et óbtu- lit sacri- fí- ci- um, quod tu, Pa-ter, in odó-rem su-a-vi- tá-

tis accepí-sti, réno-vans cum homí-nibus fœdus amó-ris. Abraham,

fí-de- i nostræ pa-ter, verbo tu- o toto corde adhǽrens, exstrúxit al-

tá-re, ut Isaac, di-lécto fí- li- o, non parcéndo ti-bi placé- ret. Sed et

Mó- y-ses, antíquæ Le-gis medi- á-tor, altá- re æ-di- fi-cá-vit quod, sán-

guine agni respérsum, a-ram crucis mýsti-ce præ-signá-ret. Quæ ómni- a

Christus implévit paschá-li mysté- ri- o: ille e-nim, sacérdos et víctima,

árborem cru-cis conscéndens, ti-bi, Pa-ter, se ipsum obla-ti- ónem

mundam trá-di-dit, qua to-tí- us mundi de- le-réntur peccá-ta et novum

æ-ternúmque fœdus tecum pange-ré-tur. Súppli-ces ergo te, Dómi-ne,

adpre-cámur: hoc altá- re in domo Ecclé- si- æ æ-di- fi-cá-tum cæ-

lésti sancti- fi-ca- ti- óne perfúnde, ut a-ra fi- at Christi sacri-

fí- ci- o in perpé-tu- um di-cá- ta et mensa exsístat domí-ni-ca,

u-bi plebs tu- a di-víno re- fi- ci- á-tur conví- vi- o. Hic expo-lí-
Hoc altáre


tus lapis * sit nobis Christi signum, e cu-ius percússo lá-te-re un-


da maná-vit et cru- or, quibus Ecclé- si- æ sunt cóndi-ta sacraménta.

Sit mensa festí-va ad quam læ-ti accúrrant Christi convívæ, ut, cu-


ris et oné- ribus in te depó-si- tis, ad nova i- tí-ne-ra novum á-ni-


* Si vero altare dedicandum non sit lapideum, sed ex alia materia confectum, dicatur: Hoc altáre sit nobis Christi signum.



mi sumant vigó- rem. Sit locus íntimæ te-cum communi- ó-nis et pa-cis,



ut qui córpo-re et sánguine Fí- li- i tu- i vescéntur, e- ius Spí- ri-tu


imbú-ti, in tu- o crescant amó-re. Sit fons u-ni- tá-tis Ecclé-si- æ et


fratrum concórdi- æ ad quem fidé- les tu- i una conve-ni- éntes spí- ri-



tum háuri- ant mú-tu- æ ca-ri- tá-tis. Sit centrum nostræ laudis et gra-


ti- árum acti- ónis, donec ad æ- térna ta-bernácu- la iubi- lántes perve-


ni- ámus, u-bi cum Christo, summo Pontí-fi-ce atque Altá-ri vi-vo, ti-


bi pe-rénnis laudis sacri- fíci- um offe-rámus. Qui tecum vivit et regnat


in u-ni- tá- te Spí- ri-tus Sancti, De- us, per ómni- a sǽcu- la sæcu-


lórum. ℟. Amen.

30. Antiphona ad unctionem altaris, super Psalmum 44 (pag. 103)

VII c

Unxit te De- us, * De- us tu- us, ó-le- o læ-tí- ti- æ præ consór-

ti-bus tu- is. E u o u a e.

31. Antiphona ad unctionem altaris, super Psalmum 117 (pag. 104)

VII c

Lá- pi-dem * quem reprobavé- runt ædi- fi-cántes, hic factus est in

caput ángu- li, alle- lú-ia. E u o u a e.

32. Antiphona ad illuminationem altaris (pag. 107)

IV A

Apud te, Dómine, * est fons vitæ, et in lúmine tu- o vidé-

bimus lumen. E u o u a e.

33. Antiphona ad offertorium I in dedicatione altaris (pag. 107, 119, 124)

I

Si offers * munus tu- um ante altá- re, et re-cordá-tus fú-

e- ris qui- a fra-ter tu- us habet á- liquid advérsum te, re-línque i-

bi munus tu- um ante altá- re, et vade pri- us reconci- li- á- ri

fratri tu- o; et tunc vé-ni- ens óffe-res munus tu- um, al-le- lú- ia.

34. Antiphona ad offertorium II in dedicatione altaris (pag. 107, 120)

V Sancti- fi- cá- vit * Mó- y-ses altá-re Dómi- no,

óffe- rens su- per il- lud ho- lo- cáu- sta, et

ímmo- lans víc- ti- mas: fe-cit sa- cri- fí- ci- um vesper-

tí- num in o-dó-rem su- a- vi- tá- tis Dó-mino De- o, in


conspéc- tu fi- li- órum Isra- el.

35. Præfatio dedicationis altaris (pag. 108)


Dóminus vo-bíscum ℟. Et cum spí- ri-tu tu- o. ℣. Sursum corda.




℟. Habé-mus ad Dómi-num. ℣. Grá- ti- as a-gá-mus Dómino De- o



nostro. ℟. Dignum et iustum est.




Ve-re dignum et iustum est, æquum et sa-lu- tá-re, nos ti-bi semper




et u-bíque grá-ti- as á-ge-re: Dómine, sancte Pa-ter, omnípo-tens æ-tér-



ne De us: per Christum Dóminum nostrum. Qui ve-rus sacérdos ve-rá-




que efféctus hósti- a, sacri-fí- ci- i, quod ipse in a-ra cru-cis ti-bi ób-




tu- lit, memo-ri- á- le nobis præcé-pit in perpé-tu- um ce-lebrá-re. I-



de- o pópu-lus tu- us hoc e-ré-xit al- tá-re, quod ti-bi, Dómi-ne, exsul-



tántes di-cámus. Hic est vere locus excélsus, ubi Christi sacri-fí- ci-



um in mysté- ri- o iú-gi-ter offértur, laus ti-bi perfécta tribú- i-tur

et nostra exsé- ri- tur redémpti- o. Hic domí-ni-ca mensa pa- rá-tur,

ad quam fí- li- i tu- i, Chris-ti córpore re- fécti, in u-nam et sanctam

congre-gántur Ecclé- si- am. Hic fidé- les Spí-ri-tum tu-um háuri- unt de

flumí-ni-bus a Christo, spi- ri-tá- li petra, ma-nántibus, per quem et ipsi

fi- unt oblá-ti- o sancta, vi- vum altá-re. Unde et nos, Dómi-ne, cum

Ange- lis et Sanctis u-ni-vér-sis ti-bi confitémur, in exsulta-ti- ó-ne


di-céntes:

36. Antiphona ad communionem in dedicatione altaris, super Psalmum 127 (pag. 109)

I


Passer * invé-nit sibi domum, et turtur ni-dum, ubi repó- nat

pul- los su- os: altá- ri- a tu- a, Dómine virtú- tum, rex




37. Prex benedictionis altaris (pag. 118, 123)

Be-ne-díctus es, De- us, qui sacri-fí- ci- um Christi tu- i, in a-ra cru-cis oblá-tum, ad humáni gé-ne-ris redempti- ónem acce-písti, et ad e- ius celebrándum memo-ri- á- le plebem tu- am ad mensam domí-ni-cam pa-térna cóngre-gas ca-ri- tá-te. Réspi-ce ergo, Dómi-ne, hoc al-tá-re, quod ad tu- a ce-lebránda mysté-ri- a pará-vimus: sit centrum no-stræ laudis et gra-ti- á-rum acti- ónis; sit a-ra ubi Christi sacri- fí-ci- um in mysté-ri- o offe-rámus; sit mensa in qua panem vi-tæ fran-gámus et cá-li-cem hauri- ámus u-ni-tá-tis; sit fons ex qua nobis perén-




nis éfflu- at unda sa-lú-tis, ut, ad Christum accedéntes, lápi-dem vivum,



in e- o crescámus in templum sanctum; et sic super altá-re cordis sa-




cri-fí-ci-um vi-tæ sancte per-áctæ gra-tum et acceptábi-le offe-rámus



in laudem gló-ri- æ tu- æ.

Omnes:




Be-nedíctus De- us in sǽcu- la.

38. Antiphona in benedictione calicis et patenæ (pag. 127)

II D



Cá- li-cem * sa-lu-tá- ris accí-pi- am, et nomen Dó-mi-ni invo-



cábo. E u o u a e.

39. Antiphona in benedictione calicis et patenæ, super Psalmum 115 (pag. 127)

III a 2



Cá- li-cem * sa- lu-tá-ris accí- pi- am, et sacri- fi-cábo hó- sti-



am † laudis. T.P. † laudis, alle- lú-ia. E u o u a e.

INDEX

HOC VOLUMEN
TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
EXCUSUM EST

IMAGINEM INITIO VOLUMINIS POSITAM
IOANNES ALOISIUS UBOLDI
DELINEAVIT